


CAVANELLI
MONADE


P. I.

A
47
38



A-III-11.

161



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA

Señal: A

Estad.: 47

NUMERO: 38

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25


2 400 40

Gaitia

MADE IN SPAIN

A-III-11.

161



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA

Salto: A
Esp: 47
Número: 38

1871
1872
1873
1874
1875


(3)

TERTIA
DISSERTATIO
BOTANICA.

DE Ruizia, Assonia, Dombeya, Pentapete, Malvavisco,
Payonia, Hibisco, Laguna, Cienfuegosia, Quararibea,
Pachira, Hugonia, et Monsonia.

AUCTORE ANTONIO IOSEPHO CAVANILLES HISPANO-VALENTINO;

E Societate Regia vulgo *Bascongada*, atque in Academia Valentina
Doctore Theologo.



PARISIIS,
APUD FRANCISCUM AMB. DIDOT.
M. DCC. LXXXVII.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ.

T E R T I A

DISSERTATIO BOTANICA.

*De Ruizia, Assonia, Dombeya, Pentapete, Malvavisco,
Pavonia, Hibisco, Laguna, Cienfuegosia, Quarari-
bea, Pachira, Hugonia, et Monsonia.*

P R Æ F A T I O.

OPUSCULUM initio hujus anni promissum prodit tandem, quinque auctum generibus multisque speciebus; quod si non omnino novum, magna saltem sui parte jure merito tale nominari poterit. Etenim ex 97 plantis quas complectitur, vix quadraginta erant Botanicis notæ, quasque denuo examinatas, ad ea reduxi genera, quæ natura postulabat. Quædam, fateor, in ipso reperientur quæ Cl. Linnæi, aliorumque dictis adversantur; verumtamen non mihi vitio tribuendum est, si, experientia duce, castigavi quæ falsa reperi, aut si sejunxi ea quæ immerito erant in unum coalita, reluctantæ fructu. Quamquam enim Linnæum, aliosque in Botanica principes, debita reverentia prosequar; verumtamen non nisi vera ex ipsis mutuabo: experientiæ contraria, in scientiæ profectum, respuam.

Ut vero possit et de hoc opere judicari, et quantum monadelphicæ classis; malvacearum præcipue, familia in dies augeatur, præmittere placuit opusculi compendium atque laboris.

Tredecim genera elucidanda sumsi, quorum septem Botanicis nota, HIBISCUS scilicet, PENTAPETES, MALVAVISCUS, QUARARIBEA, HUGONIA, PACHIRA, MONSONIA; reliqua nova, RUIZIA, DOMBEYA, ASSONIA, PAVONIA, LAGUNA, CIENFUEGOSIA. Ne vero ingrati animi, aut plagii nota inurar, agrum indigitabo qui tantam segetem mihi præbuit, atque auctores, quibus scientia gloriari in perpetuum debet.

Nullum Botanicorum latet quantum insudaverit Commersonius in regni vegetabilis augendo thesauro; at non omnibus constat quantum solertiæ, quantum critices, adhibuerit in plantarum examine atque descriptionibus. Sciebat equidem parum ipsi gloriæ, parumque Botanicæ perfectioni futurum, si, ut ipse fecit, noti orbis lustrasset fere omnes plagas, atque ex eisdem plantas reportasset, nisi attente in singularum fructificationem introierit, atque cujusque characteres repererit.

Itaque quo tempore peregrinationes instituebat, cuncta notabat quæ plerosque fugiunt, non ita tamen ut omnibus numeris absoluta scriberet: quædam enim, ut ego quidem arbitror, memoriæ mandabat in posterum castiganda; quæ-

dam vero examinanda ulterius manu propria conscripsit : quæ omnia , nisi præmatura morte decessisset , perfecta ipse in scientiæ profectum atque in maximam sui gloriam orbi litterario communicasset. Quantum vero jacturæ hujus unius hominis morte Botanica fecerit , vel ex iis etiam , quæ imperfecta reliquit , conici certè potest : atque dolendum maxime , non omnes quos ipse conscripsit codicis permanere , quinimo perpauca duntaxat.

Ditissimum Commersonii herbarium , codices atque plantarum icones accuratissimas æque ac nitidissimas , ubi primum de ejusdem obitu fuit cognitum in Europa , Galliarum rex adportari jussit , ne divitiarum cumulus periret tot laboribus partus. Hunc ordinavit atque multis vigiliis in corpus vere scientificum redegit vir clarissimus D. Antonius Laurentius de Jussieu , cui quanta debeam , nec unquam obliviscar , nec facile ac satis potero prædicare. Hic itaque , Botanice amore atque in me benevolentia ductus , quamquam universum supradictum herbarium cum aliis bene multis atque rarioribus plantis in lucem publicam edere instituerit ; tamen et indulgit mihi illud perlustrare , et quæ ad monadelphiam pertinent excerpere , ut orbi litterario communicarem : quæ num feliciter expleverim , Botanicis judicandum relinquo.

Itaque tria genera , RUIZIA scilicet , ASSONIA atque DOMBEYA , ut et Hibiscorum species plurimæ atque pulcherrimæ , Commersonii peregrinationibus debentur ; quæ , utpote nunc primum in lucem publicam prodeuntia , quanta potui diligentia delineavi nedum plantas , sed et fructificationum systemata , cuique generi respondentia ; quæ omnia nitidissime sculpsit D. Sellier , Chalcographus Parisiensis. Tria illa genera malvacea sunt atque inter se conveniunt calyce duplici , interiori monophyllo quinque-fido persistenti , corolla patenti , atque urceolo aut annulo germen cingente , qui parte inferiore in petala quinque extenditur , superiore vero in filamenta brevia terminatur : verumtamen signis constant ulterius , quibus ab invicem separantur. Perstringamus singula , atque primum ea quæ RUIZIÆ sunt propria.

RUIZIÆ calyx duplex est , quorum exterior triphyllus ut in malva , qui tamen et citissime decidit , et unilaterialis est. In calycis interioris centro germen reperitur globosum , decemsulcatum , minimum , urceolo cinctum , qui basi in petala quinque oblonga , falcata , patenti extenditur ; superne vero in 30-40 filamenta terminatur , corollâ breviora , totidem antheras oblongiusculas sustententia : styli decem exsurgunt ex germinis centro , quod in fructum abit orbiculari-compressum , ex decem capsulis unilocularibus , dispermis , quorum semina sunt subrotundo-triquetra , subtus acuminata. Ex his itaque patet a MALVA distingui hoc genus calyce exteriori deciduo , et tubi defectu , in cujus loco urceolus brevissimus reperitur.

ASSONIA affinis præcedenti est , a quo tamen genere , quemadmodum et ab omnibus huc usque notis , distinguitur sequentibus characteribus. Calyx est ipsi duplex , uterque persistens , exterior minimus , bracteiformis , monophyllus , unilaterialis , apice latior , tricrenatus : interior ut in præcedenti. Germen superum , globosum , stylis quinque brevibus terminatum , quod urceolo cingitur basi in quinque petala pariter falcata extenso ; apice vero terminato in 20 filamenta , corolla breviora , quorum quinque adhuc breviora , latiora , colorata ,

sterilia, alternatim inter tria fertilia. Fructus denique globosus, cortice coriaceo rectus, partibilis in quinque capsulas triquetras, dispermas, quorum semina sunt subrotundo-triquetra.

DOMBEYA post ASSONIAM ordine naturali collocari debet. Constat hoc genus calyce duplici, ut in RUIZIA vidimus, exteriori triphylo, unilaterali, deciduo: germine supero, globoso, sulcato, stylo unico oblongo persistenti terminato, cui stigmata sunt quinque reflexa. Urceolus est ipsi omnino idem ac in ASSONIA observatur; at filamenta quinque sterilia sunt multo longiora ceteris, sublan-ceolata. Fructus tandem est ovatus aut turbinatus, ex quinque capsulis compositus in orbem coalitis, plerumque separabilibus, bivalvibus: semina solitaria, bina aut octo etiam in singulis capsulis, aut loculamentis, cujus figura variat.

Si ergo DOMBEYÆ atque ASSONIÆ characteres comparentur, ab ista differre DOMBEYAM observabitur calyce exteriori triphylo deciduo; stylo unico, ac stigmatibus quinque revolutis. Quum vero rarissime inveniatur genus, si plures præsertim complectatur species, quod non aliquas admittat, in quibus defectus aliquis aut excessus in partibus reperiatur, integra remanente generis essentia; mirandum non est si inter DOMBEYAS nonnullas stirpes inseruerim, quæ a reliquis differre videantur. Quum itaque hujus generis essentia consistat in calyce duplici, quorum exterior triphyllus deciduus, et filamentis subviginti, quorum quinque alternatim longiora sunt, colorata atque sterilia; ad hoc genus pertinere arbitror DOMBEYAM PUNCTATAM, quæ dioica est, et DOMBEYAM DECANTHERAM, quæ decem dumtaxat constat filamentis, quorum fertilia singula duas antheras sustinent. Est etiam huic speciei stylus in tria stigmata partitus. Ad calcem denique hujus generis reperitur PENTAPETES PHÆNICEA Linnæi, utpote quæ DOMBEYA est, et minime PENTAPETES.

Quoniam vero CL. LINNÆUM in hac specie determinanda errasse certum reputo, liceat mihi rem altius repetere, ut in bono lumine omnia collocentur. Colui hanc plantam in horto Exc. D. DUCIS AB INFANTADO, quæ proximo Augusto et Septembri flores ac fructus dedit. Constat calyce duplici, quorum exterior triphyllus est coloratus, atque deciduus; interior monophyllus, quinque partitus, persistens; urceolo pentagono, qui basi in quinque abit petala magna, coloris pulcherrimi phænicei; superiori vero terminatur viginti filamentis, quorum quinque, alternatim inter tria brevissima fertilia, sunt fere longitudinis corollæ, latiora, sterilia, ejusdemque cum corolla coloris. Urceolus supradictus cingit germen ovatum, quod terminatur stylo longo flavescente, qui apice partitur in stigmata quinque, sæpissime in clavam conniventia, ac tandem abit in fructum, qui est capsula globoso-ovata, subtomentosa, quinquelocularis; ac in singulis loculamentis reperiuntur semina octo subglobosa, duobus arcibus quadridentatis parallelis affixa.

Hæc fere omnia conveniunt cum observationibus quas CHR. JAC. TREVIUS publici juris fecit in prima decade plantarum rariorum, qui nihilominus dixit calycem esse simplicem absque ullo involucre deciduo, ac loculamenta monosperma. Verumtamen iconem, alioquin pulcherrimam, examinanti videre mihi visum fuit in capitalis, ante corollæ expansionem, foliola, quæ et ego reperi, quæque calycem exteriorem constituunt; quæ, licet descriptioni auctoris minime respondentia, quum non casu ibi depicta existant, observationem meam

atque Linnæi apposite confirmant. Quod vero semina repererit solitaria, id evenit sæpissime quum plantas Orientis in Europa colimus. Non enim est idem solis ac terræ robur; languent hinc quandoque plantæ exoticæ, quæ aut flores nullos produunt aut fructus incompletos. Si vero TREWII planta, quod observandum ulterius arbitror, et calyce simplici constat et capsula pentasperma; quod diversa sit ab hac nostra, nullus dubito.

Ante hunc RUMPHIUS, *libro 8, capite 71, pag. 288, tabula 100, figura 1*, plantam descripsit suo more, quam ab incolis mutuato nomine FLOREM IMPIUM dixit lepida ex causa, ex eo scilicet quod flos numquam cælum aspiciat: in quo ego et conditoris providentiam admirandam video, et novum argumentum quo Cl. LINNÆI systema sexuale firmatur, de quo postea.

Hæc omnia haud fugere poterant LINNÆI solertiam, atque accuratissimi observatoris acumen. Sciebat etiam hic Botanica reparator ac decus omnia, quæ JOAN. AMMANIUS inserenda dedit Imperiali Scientiarum Academia Petropolitana, scilicet PTEROSPERMADENDRON (ex quo PENTAPETEM finxit) calyce unico crasso constare, corolla pentapetala, pluribus staminibus, atque pediculo terminato germine (embryonem dixit perapposite AMMANIUS): quod germen in fructum abit lignosum, quinquelocularem, polyspermum; cujus semina compressa sunt et aceris instar alata. Quanam ergo affinitas reperiri poterit inter PENTAPETEM PHÆNICEAM ac reliquas LINNÆI species? Quis non videat toto cælo ab invicem distare? Malvacea illa est, quod haud facile reliquis Botanicorum aliquis concedat. Germen illa fovet intra calycem, quod stylo terminatur; in istis germen reperitur in pediculi apice. Capsula est denique lignosa in his atque semina alata, quod utrumque deficit in PENTAPETE PHÆNICEA. Humani ergo passum aliquid dicamus LINNÆUM in coordinandis speciebus generis PENTAPETIS.

Ex his itaque facile solvuntur quæ de meo genere DOMBEYA legimus in Dictionario Encyclopedico (a). PTEROSPERMADENDRON enim a DOMBEYA sejungo, quia earum fructus sunt omnino diversi, a quibus potissimum generadesumenda sunt. AMMANII plantis, ex quibus PENTAPETEM finxit LINNÆUS, longitudinis ac duritiei vocis vitandæ causa, fructus est lignosus, semina alata, germen pedicelatum, calyx simplex, quorum nihil omnino DOMBEYÆ convenit. Si vero Linnæus de PENTAPETE agens unicam assignasset speciem, PHÆNICEAM scilicet, tunc temporis plena roboris atque veritati consentanea essent quæ nuperime scripsit Cl. auctor memorati operis.

Veruntamen memorari oportet LINNÆUM nova plantarum genera describentem anno 1749, dum ad PENTAPETEM pervenit, p. 134, duas dumtaxat numerasse species, illas scilicet quas ex JOAN. AMM. mutuavit, neque P. PHÆNICEAM, de qua in præsentiarum quæstio, tunc temporis cognovisse. Quam ob rem si PENTAPETIS genus existit aliquod (quodque retinendum nullus inficiabitur), minime DOMBEYÆ convenire poterit, sed memoratis duabus plantis.

(a) Le genre *Domley*, que doit publier incessamment M. L'ABBÉ CAVANILLES, doit être réuni selon nous aux *Pentapetes* de Linné, dont il ne paroît différer que parceque dans le caractère de *Pentapetes* publié par Linné, l'on trouve plusieurs fautes; savoir, l'oubli du calyce extérieur des trois folioles caduques, la citation d'un stigmate simple, qui est réellement à cinq divisions; celles des semences dites ailées, qui ne sont que légèrement anguleuses, &c. *Dict. Encyclop. t. 2, art. DOMBEY.*

Quid vero judicandum de diversis LINNÆI atque JOAN. AMM. descriptionibus? In medio relinquo; idque unum dicam, istum vidisse plantas, illum vero potuisse siccas accuratius examinare: quare ut lector possit quam maluerit opinionem sequi in hujus operis decursu, quum de PENTAPETE agam, utriusque auctoris characteres sistam.

Si vero ex hucusque dictis apparet errasse LINNÆUM in hujus plantæ descriptione atque in generibus constituendis, injustum utique esset silentio premere argumentum, quod illa suppeditat ad firmandum ulterius systema sexuale: illud dixi in scientiæ profectum; hoc addam libenter in Linnæi gloriam, ut et animadversionibus, et laudando veritati inserviam.

Observabam multoties plantas, quas diu et frustra florentes conquisieram: capitula tandem ultimo Augusto vidi solitaria, pedunculata, erecta ante floris expansionem, quæ sensim inclinantur atque omnino nutant corolla expansa, quæ latis petalis spheræ segmentum sistit; atque genitalia a pluvia et aere defendit. Stamina, ut superius dixi, sunt brevissima, et stylus cum stigmatibus valde longus; fecundari ergo germen nullatenus posset nisi flore inverso, aut pollinis elasticitate, quæ nulla est. Verumtamen ne pollen decidendo stigmata præteriret, ad hæc ire cogitur filamentis castratis, quæ ejusdem fere cum stylo longitudinis ad eum approximantur in tubi laxi modum, ut magna pollinis pars, quæ subtilitate huc illuc iret, nisi suavi carcere contineretur, stigmata tangat, quæ viscositate eam retinent, ut intentus a natura finis consequatur. Quo peracto, duobus nempe diebus elapsis, corolla cadit cum staminibus, calycis lacinia adproximantur ad fructum, ac pedunculus de novo erigitur.

An fortasse idem eveniet Dombeyis reliquis? Siccas omnes examinavi, nec verbum de hoc dixit Commersonius. Verumtamen quum idem in omnibus reperiatur genitalium situs ac proportio, eodem fortasse munere illa fungentur ut fructus obtineatur.

PENTAPETEM certe præterirem, nisi ejusdem descriptio ac plantarum icones magno forent Botanicis adjumento, ut quæstio, si ulla esse potest, dissolvatur, atque certi tandem characteres et genera stabiliantur. Itaque PENTAPETIS genus a Cl. Linnæo descriptum convenire aliquo modo poterit secundæ et tertiæ dumtaxat speciebus, *suberifolia* scilicet et *acerifolia*. Quia vero has plantas nullibi vidi cum fructibus ac floribus, LINNÆI atque AMMANII, ut nuperrime dixi, characteres transcribam. Et quoniam superius exposui ex Ammanio mutuatos, ne dicta repetam, reliqua genera videamus.

MALVAVISUS proprium genus constituerebat in accuratissimis Dillenii operibus, ex quo tamen placuit LINNÆO *hibiscorum* species augere, quamvis utriusque fructus sit omnino diversus: MALVAVISO sunt stigmata decem, corollâ in tubum convoluta, cujus petala basi auriculata; atque pro fructu drupa quinquelocularis, loculis monospermis. Hac ergo de causa in pristinam dignitatem restituere, atque ab HIBISCO et PAVONIA sejungere Dillenii plantam malui, quam in unum corpus omnia commixta iterum reproducere.

PAVONIA genus est aliud novum MALACHRÆ atque URENÆ affine, cujus nonnullæ species mixtæ conspiciuntur inter HIBISCOS LINNÆI. Qua vero de causa ab HIBISCO PAVONIAM separaverim, abunde dictum arbitror in secundæ

dissertationis præfatione, quam lector poterit consulere : additis hic generis characteribus. Calyx est duplex in PAVONIA, uterque persistens, quorum exterior polyphyllus, interior semiquinquepartitus. Germen superum, quinquesulcatum, stylo unico terminatum, qui in octo aut decem stigmata partitur. Hoc cingit tubus, qui parte inferiori in petala quinque patentia extenditur, superiore vero stylum vaginans, filamentis ornatur per ejusdem superficiem sparsis. Fructus denique sunt capsulæ quinque in orbem positæ, articulatim dehiscentes, uniloculares, monospermæ, bivalves, quorum semina sunt sæpissime triquetra.

In memoriam revocare operæ pretium erit quod superiore anno scripsi pag. 47, scilicet *stigmatum numerum fructum indigitare; et vicissim ex fructu, una nempe, aut quinque capsulis, stigmatum numerum erui constanter posse.* Hac unica observatione aut potius lege suffultus, ubi primum vidi floridam in R. H. P. Sidam urentem (hoc nomine missam) mense Martio anni 1785, quamquam nullum tunc temporis fructum dederit, hunc prædixi futurum ex capsulis quinque monospermis; quia calycem vidi duplicem et stigmata decem: qua de causa in Horto Regio apparuit demonstranda ultima æstate nomine *Pavonia urentis Cav.* Neque me deceptum fuisse demonstravit eventus: mensibus enim Octobris atque Novembris proxime elapsis, fructum dedit a me prædictum.

Semina ulterius ex Hispania accepi Sidæ nomine mense Marrio proxime elapso, quibus examinatis stigmata prædixi decem, utpote ad PAVONIÆ genus referendam existimans plantam inde futuram; eo scilicet quod intra calycem duplicem, capsulas quinque numeravi, bivalves, monospermas. Ut vero experimenti atque prædictionis testes haberem integros, Regio H. P. dedi plantam PAVONIÆ PANICULATÆ nomine a mense Junio, quæ non floret, ut postea vidi, nisi ultimo Septembri et Octobri: in qua florida stigmata decem numeravi summo gaudio. Atque illud ut verissimum adstruo, nec primam unquam ante meam observationem Parisiis fructificasse, nec secundam exstitisse.

Nunc vero si ad fructum huius generis dumtaxat attendatur, idem omnino reperietur ac URENÆ et MALACHRÆ, cum quibus ulterius convenit tubo staminifero atque calyce duplici. Quantum vero ab eisdem differat necnon ab HIBISCO, facile reperiet, qui omnium characteres comparare velit.

Hujus tandem generis species separavi in varias sectiunculas, quarum prima tres complectitur, in quibus unaquæque capsula spinis tribus armatur: secunda illas quarum calyx exterior est interiore longior; tertia reliquas.

HIBISCUS. Pulcherrimum hoc genus adeo auctum prodit novis speciebus atque observationibus meis, ut gratum sperem Botanicis futurum. In examinandis ejusdem speciebus sequentia reperi.

1. Calyx interior (semper monophyllus) aut est semiquinquepartitus, aut oblongo-tubulosus, tuncque apice denticulis quinque terminatur. In primo casu semper persistit; in secundo vero finditur longitudinaliter, quum corolla expanditur, atque cum ipsa decidit.
2. Calyx exterior est aut polyphyllus, aut profunde multipartitus, exceptis *Hibisco tricuspido* et *tiliaceo*, qui dicto calyce ad Althæas accedunt; verumtamen variat foliorum aut laciniarum numero: in *Hibisco* enim *populneq*

pulneo tria dumtaxat reperiuntur foliola, quod latuit LINNÆUM; quum in reliquis speciebus a quinque ad 30 excurrat.

3. Hic calyx cito decidit in Hib. *Populneo Esculento* et *Sinuato*; in reliquis persistit.
4. Corolla in omnibus speciebus (*Rosa Sinensi* excepta) semel expanditur, idque sex aut octo horarum spatio; quæ plerumque postridie decidit cum tubo ac staminibus, utpote unicum cum ipsis corpus efformans.
5. Stylus est semper unicus, qui apice in quinque stigmata incrassata partitur, si Hib. *Esculentus* excipiatur, cujus stigmatum numerus variat a 5 ad 10.

Hæc ultima observatio memoratam speciem ut spuriam rejicere videtur a congenerum gremio: inconstans enim est Hib. *ESCULENTUS*; propterea quod ex eisdem seminibus plantas habui, quarum stigmata, numquam numero determinata, nunc sex, nunc novem exstiterunt. At quum ipsi reliqui characteres quadrent, fructus præsertim, qui semper capsula unica constat, cujus loculamenta stigmatum numero respondent, ab *HIBISCORUM* genere separari minime debet.

6. Stamina sunt ut plurimum numerosa per tubi superficiem sparsa, atque ipsum terminantia: filamenta parva; antheræ reniformes.
7. Germen est aut sphericum, aut ovatum, aliquando etiam pyramidale, quod fructus figuram prædocet, quæ varia est in hoc genere; verumtamen unica dumtaxat constat capsula quinqueloculari, quinquevalvi, Hib. *ESCULENTO* excepto, in quo loculamenta variant.
8. Fructus loculamenta sunt fere semper polysperma atque semina ovata, aut reniformia, villosa, aut glabra.

Hujus generis species in varias phalanges distribui: 1^a sistit eas, quarum fructus loculamenta sunt monosperma: 2^a illas, quibus caulis est aculeatus: 3^a duas, in quibus calyx exterior est monophyllus, ac terminatur in dentes aut laciniâs haud dissimiles ab illis quæ in althæis conspiciuntur: 4^a tres alias species, quarum calyx interior est hemisphericus, coriaceus: 5^a illas, quibus folia sunt aut indivisa, aut leviter lobata: 6^a eas, quæ foliis gaudent perfecte angulatis aut lobatis: 7^a demum reliquas, quarum folia sunt profunde angulata, aut laciniata.

LAGUNÆ genus ita præcedenti est affine, ut non nisi defectu calycis exterioris ab ipso separetur, atque stigmate simplici peltato. Itaque inspectis fructibus, post *HIBISCUM LAGUNA* atque *SOLANDRA* collocari debent: illius calyx est monophyllus oblongus, apice acuminibus quinque subulatis, expansione corollæ latere rumpendus, deciduus.

CIENFUEGOSIA constat calyce duplici persistenti: quorum exterior ex duodecim setulis brevibus componitur; interior vero monophyllus est, et semiquinquepartitus. Corolla, tubus, stamina et antheræ, sunt ut in *HIBISCO*. Globosum germen stylum sustinet tubo longiorem, parte superiore incrassatum, cujus stigma clavatum; illudque in fructum abit, qui est capsula ovata cum acumine, trilocularis, trivalvis, loculis monospermis, quorum semina sunt oblongo-ovata. Unicam dumtaxat speciem continet, quemadmodum et præcedens.

PACHIRA, ex qua **CAROLINEAM** finxit **LINNÆUS**, genus est ab omnibus notis omnino diversum, quemadmodum accuratissime dixit **AUBLETIUS**, qui eam primus reperit, nominavit, atque delineandam curavit. Calyce simplici deciduo constat, cujus basis glandulis stipitatur. Petala sunt ipsi quinque ensiformia, in tubum parte inferiore approximata, dehinc patentia, reflexa. Tubus germen cingens partitur apice in 15 laciniis, quarum qualibet multis filamentis longis antheriferis terminatur. Germen piriforme, sulcatum: stylus simplex longitudine staminum, qui terminatur stigmatibus quinque foliaceis. Fructus denique est capsula ovata, sulcata, unilocularis, multivalvis semina plurima angulata continens.

Perspectum habeo **LINNÆI** filium dixisse stigma simplex et capsulam bilocularem. At credendum arbitror **AUBLETIO**, qui plantam vivam accurate observavit, potius quam **LINNÆI** filio, qui specimina sicca dumtaxat inspexit, quæ stigmatibus orbari exsiccatione ac longis itineribus potuere. Quod ad loculamenta fructus attinet, malo etiam **AUBLETIUM** quam **LINNÆUM** sequi, aut saltem dicere fructum esse mono aut bilocularem.

QUARARIBEA gaudet calyce monophyllo 3-5-dentato, quandoque etiam ad medietatem usque fisso: petalis quinque oblongis, undulatis, limbo patente recurvo. Tubus est ipsi tenuis, longissimus, antheras novem sessiles in apice sustentans, supra quas glandulosa corpuscula exstant quatuor vel quinque. Germen minimum, subrotundum: stylus longissimus tubo vaginatus: stigma bilobum incrassatum. Fructus denique intra calycem, qui est capsula coriacea, ovata, bilocularis, loculis monospermis, quorum semina sunt ovata, extus convexa, intus plana.

HUGONIÆ genus, quod unica apud **LINNÆUM** absolvitur specie, secunda nunc augetur ex **COMMERSONII** herbario deprompta. Calyx est huic generi persistens, coriaceus, pentaphyllus, foliolis ovatis, concavis, quorum duo exteriora. Corolla malvacea, patens, petalis emarginatis. Urceolus germen cingens terminatur decem filamentis æqualibus, antheriferis. Germen globosum: styli quinque; stigmata capitata. Fructus demum est drupa carnosae, capsulas quinque continens in orbem positas, bivalves, uniloculares, monospermas.

Quamquam plura examinaverim specimina, in nullo tamen reperire potui fructum, qui ad perfectam maturitatem pervenisset. Hac ergo de causa, quum juxta **COMMERSONII** figuram semina debuerim invenire ovato-acuminata, capacitati capsularum respondentia, in his dumtaxat reperi membranam ovato-arcuatam compressam, cujus basis erat crassior et nigra. Quod ego inde provenire arbitror, quod fructus tenerrimi nec satis coagulati humor fuerit exsiccatione evaporatus.

MONSONIA est genus ultimum ex elucidandis in hoc opere. **LINNÆUS** illud inter polyadelphia collocavit: verumtamen, quum tanta intersit affinitas inter ipsum et **GERANIUM**, volui de illo in præsentiarum agere, ut viam parèam ad **GERANII** opus, omnibus jam fere numeris absolutum (a). Ad hæc corpora quin-

(a) Videatur index ad calcem huius operis.

que, dicam rectius, lacinias filamentis terminatas, basi vidi coalitas in unum corpus; cujus observatio, quamquam in sicco facta, novam rationem mihi suppeditat ut de *MONSONIA* agam, quæ separari nequit a *GERANIORUM* gremio.

Calyx itaque est ovatus, profundissime partitus in quinque lacinias, persistentes apice mucronatas. Corolla magna ex petalis quinque sensim latioribus, apice dentatis: urceolus brevissimus in quinque lacinias lineares oblongas partitus, quarum singulæ terminantur filamentis tribus antheriferis.

Specimina, quæ examinare mihi licuit, fructibus erant destituta; quapropter nihil certi affirmare possum de capsularum ac seminum numero, qui tamen, si ex affinitate conjiciendæ, quinarius erit, atque semina solitaria in unaquaque capsula.

Denique, antequam præfationi finem imponam, operæ pretium erit quædam addere ut Regiæ scientiarum Academia satisfaciam, quæ superiore anno, de *TRIGUERA* disserens, ulteriorem explicationem requisivit de partium insertionem. Plantam itaque nedum colui, sed et floridam dedi Regio H. Par. ut cuicumque liceret examen iterum instituere: atque aperte vidi stamina inserta membranæ, quæ basi in corollam abit, hujusque tubum inter calycem et germen pariter insertum reperi. Quibus abunde dictum de insertionem arbitror.

Parisiis, die 29 Novembris anni 1786.

INDEX PLANTARUM

Quae in hoc opere continentur.

169	Ruizia	Cordata.	202	Hibiscus	Ovatus.	235	Urens.
170		Lobata.	203		Hastatus.	236	Ferrugineus.
171		Palmata.	204		Acuminatus.	237	Palustris.
172		Laciniata.	205		Pentacarpos.	238	Moscheutos.
173	Assonia	Populnea.	206		Vitifolius.	239	Pedunculatus.
174	Dombeya	Palmata.	207		Striatus.	240	Spicatus.
175		Acutangula.	208		Bifurcatus.	241	Simplex.
176		Angulata.	209		Trilobus.	242	Flavescens.
177		Tiliaefolia.	210		Sinuatus.	243	Brasiliensis.
178		Tomentosa.	211		Ficulneus.	244	Mutabilis.
179		Punctata.	212		Cannabinus.	245	Clypeatus.
180		Decanthera.	213		Suratensis.	246	Columnaris.
181		Umbellata.	214		Radiatus.	247	Micans.
182		Ovata.	215		Digitatus.	248	Abelmoschus.
183		Ferruginea.	216		Tiliaceus.	249	Palmaris.
184		Phœnicea.	217		Tricuspis.	250	Esculentus.
185	Pentapetes	Suberifolia.	218		Populneus.	251	Syriacus.
186		Acerifolia.	219		Liliflorus.	252	Sabdarifa.
187	Malvaviscus	Arboreus.	220		Lampas.	253	Vesicarius.
188	Payonia	Spinifex.	221		Micranthus.	254	Trionum.
189		Aristata.	222		Æthiopicus.	255	Ternatus.
190		Typhalæa.	223		Rhombifolius.	256	Fraternus.
191		Zeylanica.	224		Rigidus.	257	Mathjot.
192		Cancellata.	225		Hirtus.	258	Aculeata.
193		Paniculata.	226		Phœniceus.	259	Cienfuegosia
194		Spicata.	227		Unilateralis	260	Quararibea
195		Urens.	228		Rosa Sinensis.	261	Pachira
196		Hastata.	229		Membranaceus.	262	Hugonia
197		Columella.	230		Cordifolius.	263	Mystax.
198		Cuneifolia.	231		Lasiocarpos.	264	Monsonia
199		Præmorsa.	232		Sororius.	265	Speciosa.
200		Coccinea.	233		Senegalensis.		Filia.
201		Papilionacea.	234		Tubulosus.		

PARS IX.

RUIZIAM COMPLECTENS (a).

CHARACTER GENERICUS RUIZIÆ.

Calyx duplex : exterior triphyllus, foliolis ovato-acutis, concavis, cito decidentibus : interior monophyllus, persistens, profunde quinquepartitus ; laciniis lanceolatis.

Corolla : petala quinque patentia, oblonga, falcata, apice subrotunda, integra ; unguibus angustiora, atque staminum urceolo affixa.

Stamina : filamenta 30-40 corollâ breviora, basi coalita in urceolum germen cingentem : antheræ oblongiusculæ, incumbentes.

Germen globosum, decemsulcatum. Styli decem brevissimi crassiusculi : stigmata simplicia.

Fructus : globoso-umbilicatus, nonnihil compressus, ex decem capsulis compositus in orbem positus. Capsulæ dorso lignosæ, subrotundæ : intus qua se invicem tangunt, angulato-compressæ, membranaceæ, uniloculares, dispersæ. Semina subrotundo-triquetra, subtus acuminata.

Differt ab omnibus columniferis defectu tubi, cujus loco exstat urceolus : a MALVA (cui valde affinis est fructu), stylis decem, et calyce exteriori deciduo ; a DOMBEYA et ASSONIA, staminibus omnibus antheriferis et fertilibus.

SPECIES.

169. RUIZIA CORDATA. (Tab. XXXVI. fig. 2.)

R. foliis cordatis, oblongo-acuminatis, sinuato-crenatis, incanis, subtus farinaceis.

Konigia foliis subcordatis, crenato-sinuatis, incanis, subtus tomentosis : floribus decagynis. *Commers. manus. cod. 2. pag. 89.* BOIS DE SENTEUR BLANC, vulgo.

Konigia foliis cordato-sinuatis, crenatis, utrimque incanis : floribus decastylis.

Com. ubi supra. Figurat.

Caulis frutescens, ramosus.

Folia petiolata, alterna, numerosa, cordata, ovato-acuminata, crenato-sinuata, petiolis longiora. Stipulæ subulatae, albicantes, pulverulentæ, deciduæ.

Flores corymboso-umbellari : pedunculus communis axillaris, solitarius in ramorum finibus : flos quilibet pedunculatus.

(a) In honorem D. HIPPOLYTI RUIZ Hispani, qui Chilense et Peruvianum iter peregit.

Calyx duplex, tomentosus : exterioris foliola ovato-acuta, concava, cito decidua : interioris lacinae profunda, lanceolata, reflexa fructu maturo.
 Corolla : petala quinque, initio dilute flava, dehinc saturate sulfurea, patentissima, subrotunda, falcata, apice nonnihil revoluta, calyce breviora.
 Stamina : filamenta 36-40 corollam breviora, basi in urceolum coalita aut scyphum germen cingentem : anthera oblongiuscula subalbicantes.
 Germen globosum, villosum, decemsulcatum : styli decem, rubri, staminibus breviores : stigmata simplicia.

Fructus generis.

Habitat in Insula Bourbon prope vicum Sancti Dionysii. H. Floret mensibus Februario et Martio. V. S. communicatam a D. de Jussieu.

D. Commerson, cui debemus omnes species RUIZIAE, ASSONIAE, DOMBEYAE, PHENICEAE excepta, hanc plantam delineandam dedit D. de Jossigny, cujus iconem vidi apud D. de Jussieu, ubi exstat totum fructificationis systema; quod vero in meis tabulis reperitur desumptum est ex siccis exemplaribus, atque locupletius esse nullus inficiabitur, qui utrumque velit comparare.

Hujus speciei, quam ut distinctam dedit Commersonius a sequente varietatem vidi, in qua foliorum sinus profundiores sunt, omnino similes sinibus quorundam foliorum sequentis speciei. An ad hanc sit referenda potius quam ad R. CORDATAM? An vero omnes unicum efforment speciem? Dicent qui vivas iterum examinabunt. Ego vero interea ex innumeris hujus generis fragmentis, quae attente examinavi, quatuor distinguam species, quae, quamquam varietatibus plurimis intermediis catenam ut ita dicam efforment, diversae sunt foliorum figura: quod eo libentius facio, quod et Commersonius ipse tres dedit icones omnino diversas quae RUIZIAS sistunt CORDATAM, LOBATAM et PALMATAM, quibus et ego quartam certissime ab omnibus diversam addidi pro RUIZIA LACINIATA.

170. RUIZIA LOBATA. (Tab. XXXVI. fig. 1.)

R. foliis cordatis, crenatis, 3-5-lobatis, oblongis; lobo medio productiore, acuminato.

Konigia foliis superioribus cordatis, inaequaliter crenatis; inferioribus trilobis, et quinquelobis, lobo medio productiore. *Commers. manus. codice 2. p. 15. Figurat.*

Konigia floribus decagynis, calyce exteriori triphyllo deciduo: interiore quinquepartito, foliis oblonge cordatis, margine crenato suberosis, basi obtuse quinque-angulatis, subtus incanis. *Com. ubi supra.*

Arbuscula speciosa 5-6-pedes alta, cortice cinereo incano, ramis patulis fragilibus, quae, quum vetusta sunt, arborescunt, foemur humanum crassa.

Folia in extremis tantum ramulis conferta, nec opposita, petiolata; petiolis longiora; cordata, desuper glabra, subtus incana, et quasi farinacea, marginibus inaequaliter crenatis ac sinuatis: vetustiora basi plus minusve manifeste quinque-angulata, nonnumquam heptangula, totque nervis, quot lobis. Stipulae subulatae, erectae, pulverulento-tomentosae, deciduae.

Reliqua ut in R. CORDATA; at corollae calyce longiores, quinque linearum diametri.

Habitat in Insula Bourbon ad promontorium Sancti Bernardi circa vicum D. Dionysii, et alibi. H. Floridam observavit atque descripsit Comm. mensibus Januario, Februario et Martio anni 1771. V. S. communicatam a D. de Jussieu. Quoniam styli sint decem, nonnulli interdum deficiunt. Comm. loco supra citato.

171. RUIZIA PALMATA. (Tab. XXXVII. fig. 1.)

R. Foliis utrimque incanis, palmatis, incis, quinquepartitis: lobis acuminatis, sinuato-crenatis, medio productiore.

Konigia foliis utrimque incanis, palmatis, incis. *Comm. ms. cod. 2. pag. 89. figurat.*

Arbor humilis, sed diffusa.

Folia alterna, conferta in extremis ramis, petiolata, petiolis longiora, oblonga, palmato-incisa; lobis quinque profundis, sinuato-crenatis. Stipula lineari-angusta; tomentosa, decidua.

Flores in corymbis umbelliformibus, longe pedunculatis: pedunculis tomentoso-lanatis.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in Insula Bourbon prope vicum Sancti Dionysii. H. Appellatur vulgo BOIS DE SENTEUR GALEUX, et BOIS DE SENTEUR BLEU. V. S. communicatam a D. de Jussieu.

Obs. I. *Fructus, quos in speciminibus vidi, necdum perfectam attigerant maturitatem; capsulas tamen vidi decem cum totidem stylis brevibus, incurvis et recurvis.*

II. *Varietatem vidi, cujus folium magnitudine naturali sistit littera G. Tab. XXXVII. in qua lobi sunt angustiores et fissi quamproxime usque ad petiolum.*

172. RUIZIA LACINIATA. (Tab. XXXVII. fig. 2.)

R. Foliis usque ad petiolum laciniatis, laciniis septem angustissimis, linearibus, pinnatifidis, pinnulis decurrentibus.

Konigia foliis multipartitis, laciniis linearibus, subdivisis. *Commerc. ms. codice 2. pag. 16.*

Erutex pulcherrimus foliorum numero ac figura, ramosus.

Folia sparsa, alterna, numerosa, longe petiolata, petiolis longiora, in 5-7 lacinas usque ad petiolum partita, laciniis inferioribus brevioribus, media longissima; omnibus acutis, linearibus, pinnatifidis; pinnulis decurrentibus.

Stipula capillares, villosae.

Reliqua deficiunt in exemplaribus.

Habitat in Insula Bourbon prope vicum Sancti Pauli. H. V. S. communicatam a D. Thouin.

P A R S X.

ASSONIAM COMPLECTENS (a).

CHARACTER ESSENTIALIS ASSONIÆ.

Calyx duplex persistens : exterior bracteiformis , monophyllus , apice tricrenatus : interior monophyllus , profunde quinquepartitus , laciniis acutis.

Corolla : petala quinque , oblongo-falcata.

Stamina : filamenta viginti , corollâ breviora , in urceolum basi coalita , quorum quinque sterilia , latiora , ceterisque breviora , inter tria fertilia ; antheræ oblongiusculæ.

Germe superum subrotundum , pubescens . Styli quinque , brevissimi , sæpe persistentes : stigmata incrassata.

Fructus globosus intra calycem , lineis quinque notatus , cortice tectus , in quinque capsulas partibilis , triquetras , uniloculares , dispermas.

Semina glabra , nigricantia , subrotundo-triquetra.

Obs. Differt hoc genus ab omnibus columniferis defectu tubi : a *RUZIA* , staminibus quinque sterilibus : a *DOMBEYA* , stylis V. et calyce exteriori monophyllo , persistente : a *PENTAPETE* , stylis V. seminibus non alatis , &c. &c.

173. *ASSONIA POPULNEA*. (Tab. XLII. fig. 1.)

A. Foliis cordatis , ovato-acuminatis : floribus corymbosis.

Konigia foliis cordatis integris glaberrimis , floribus pentastylis. *Commerc. ms. codice 2. p. 87. Figurat.* BOIS DE SENTEUR BLEU OU GALEUX , vernacule.

Arbor est mediocris , cortice cinereo , vel cinereo-fuscescente , hibisci populnei facie : lignum ejus perlibenter odoratum , et intimo corde cœrulescens , quandoque et dum veterascit durissimum.

Folia alternatim sparsa , cordata , magna , integerrima , quandoque oviter dentata , necnon undulata , utrimque glabra , apice acuminato prolongata , atque oblique dependentia . Stipula: . . .

Flores subcorymbosi , pedunculo communi , et dichotomo elevati , sæpius cum flore in unaquaque dichotomia longius pedicellato.

Corolla : petala quinque parva , oblonga , falcata , et hinc vel illinc oblique dejecta . Color floris recentissimi albus , veterascentis ad ferrugineum degener ; tum maxime quum fructus maturos ambit unguibus saltem permanentibus.

Calyx persistens duplex : exterior ut supra in descriptione characteris generici :

(a) In honorem D. IGNATII DE ASSO Botanici Hispani , cui , præter alia opera , et Floram Aragoniæ debemus , et Introductionem in tria regna naturæ.

interior monophyllus, semiquinquefidus, laciniis lanceolatis, acutis, patentissimis, deorsum deinde reflexis, sursum tandem inflexis, ac fructum arcte ambientibus.

Germen subrotundum, aliquantisper depressum, pubescens. An multicapsulare sit, non satis constabat licet verosimile. Styli brevissimi numero quinque: sic observavi iterum atque iterum.

Reliqua ut supra, loco citato.

Habitat in Insula Bourbon sylvis montosis Divi Pauli pago imminentibus. Floret mense Maio. H. V. S. communicatam a DD. de Jussieu et Thouin.

Obs. *Hæc omnia ad verbum transcripsi ex Commersonii codice 2, illis exceptis quæ italico caractere scripta sunt. Verumtamen laudati auctoris descriptio duo continet quæ castiganda duxi, quæque ipse procul dubio correxisset, si plantam iterum observaverit, atque ultimam manum et observationibus et operi apponere potuerit. 1º. Calycem dixit simplicem, qui duplex certe est, quamquam exterior addo minimus, ut non nisi attente flores et fructus examinando conspiciatur. 2º. Nihil dixit de staminibus quinque sterilibus, atque omnium numerum sic exposuit 15-20-25. Ego vero viginti dumtaxat idque constanter reperi, quorum quinque sterilia, latiora, et paulo breviora.*

Ne vero dicatur aliam ipsum, aliam me plantam descripsisse, consulatur figura quam ille dedit accuratam, quæque asservatur apud D. de Jussieu: consulantur etiam specimina, juxta quæ reperietur Commersonii manu conscriptum: KONIGIA PENTAGYNA FOLIIS CORDATIS, &c. ut supra innui. Quæ omnia si cum mea descriptione ac tabula comparentur, plantæ identitas reperietur.

PARS XI.

DOMBEYAM COMPLECTENS (a).

CHARACTER GENERICUS DOMBEYÆ.

Calyx duplex: exterior triphyllus deciduus (figura variat), foliolis non in orbem, sed ad alteram partem positis. Interior monophyllus, profunde quinquepartitus, laciniis acutis, reflexis, persistentibus.

Corolla: petala quinque patentia, subrotunda, basi angustiora, staminum urceolo affixa, persistentia sapissime.

Stamina: filamenta 20 corollâ breviora; quorum quinque sterilia, longiora,

(a) In honorem D. JOSEPHI DOMBEY, Galli Chilensis atque Peruviani imperii peregrinatoris.

- latiora; inter quorum singula, tria fertilia. Omnia basi coalita in urceolum germen cingentem. Antheræ oblongæ, subsagittatæ, erectæ.
 Germen globosum, quinesulcatum, tomentosum. Stylus simplex, staminibus longior persistens. Stigmata quinque recurva.
 Fructus globosus aut turbinatus, quinesulcatus, lana tectus sæpissime: capsulæ quinque in orbem coalitæ, separabiles, bivalves, uniloculares, mono aut polyspermæ. Semina fere semper oblonga.
 Dombeya differt ab omnibus columniferis defectu tubi: a Ruizia, staminibus quinque sterilibus: ab Assonia, calyce exteriori triphylo deciduo: a Pentapete, stigmatibus quinque, calyce duplici, ac seminibus non alatis.
 Obs. I. DOMBEYA PUNCTATA est dioica. D. DECANTHERA staminibus gaudet tantummodo decem, quorum quinque sterilia sunt; reliquorum quodlibet antheras duas sustinet. D. OVATA, FERRUGINEA, et ANGULATA, stylo ornantur brevissimo et stigmatibus longis, adeo ut pentagynæ primo obtutu videantur.
 II. Omnes species, PHÆNICEA excepta, sunt arbores mediocres pulcherrimæ: earum cortice funes parantur.

Nescio qua de causa Commersonius, alioquin acutissimus atque de Botanica bene meritus, ad STEWARTIÆ genus plantas omnes amandaverit, quas nunc ego DOMBEYÆ nomine reipublicæ litterariæ communico. Nihil enim est illis cum STEWARTIA commune; et, quamquam PENTAPETI affines, ab ipso recedunt et calyce exteriori, ut dixi, stigmatibus quinque, atque seminibus non alatis.

Essentia generis D. in calyce exteriori triphylo deciduo consistit atque in staminibus quinque sterilibus, alternantibus cum aliis brevioribus fertilibus.

SPECIES.

* Calycis exterioris foliola lata.

174. DOMBEYA PALMATA. (Tab. XXXVIII. fig. 1.)
 D. Foliis cordatis palmatis, subglabris, digitationibus septem acutis, serrato-crenatis, floribus corymbosis.
 Stewartia foliis palmatis. *Commers. herb. Figurat.*
 Caulis arboreus ramosus.
 Folia alterna, longe petiolata, petiolis longiora, cordata, palmato-septemangulata, septemnervia, lobis oblongis, acuminatis, serratis, aut crenatis; (glabra apparebant in sicco.) Stipulæ lanceolato-acutæ, tomentosæ, deciduæ.
 Flores: pedunculi solitarii, axillares, in summitate ramorum petiolo longiores: supra ramosi, subcorymbosi. Flos quilibet pedunculatus, pedunculis, ramis, petiolis atque calycibus tomentosis, tomento saepe rufescente.
 Calyx exterior ex tribus foliolis cordatis, subrotundis, concavis, deciduis; media majore, sessili, lateralibus minoribus petiolatis; interior multo longior, laciniis acutis, reflexis.

Corolla sesquipollicaris, initio albicans, dehinc sulphurea, tandem ferruginea, quum scilicet fructum comitatur et ambit: *idemque dicendum de sequentibus speciebus.*

Stamina: filamenta 20. corollâ breviora: quinque sterilia, erecta, longiora. Antheræ subsagittatæ, erectæ, plusquam unius lineæ longitudinis.

Germen globosum, tomentosum, urceolo staminifero laxo circumdatum. Stylus basi villosus, supra purpureus, staminibus longior; stigmatibus quinque revolutis, persistentibus.

Fructus subovatus, quinqueangulatus, angulis obtusis, lanatus. Capsulæ monospermæ.

Habitat in Insula Bourbon ac præcipue in itinere inter vicos Sancti Dionysii et Sancti Pauli. H. Vidi siccam, communicatam a D. de Jussieu. Floret mensibus Maio, Junio.

МАНОТ-ТАН-ТАН vulgo apud incolas appellatur, ex eo scilicet quod ejus folia similia sint illis RICCINI PALMA CHRISTI, quæ planta TANYAN ibi nominatur.

Obs. Specimina plurima vidi, quorum folia sunt subpalmata, quinqueangulata, angulis tamen non ita profundis ac in D. PALMATÆ. Num ad hanc revocanda sint tamquam varietas, num ad sequentem, aut ex ipsis nova species constituenda sit? hæreo, dicent Botanici qui plantas vivas in posterum examinabunt.

175. DOMBEYA ACUTANGULA. (Tab. XXXVIII. fig. 2.)

D. Foliis cordatis, subrotundo-tricuspidatis, crenatis, initio tomentosis; floribus racemosis.

Caulis arboreus.

Folia alterna, petiolata, magna, petiolis subæqualia, cordata, subrotundo-tricuspidata cuspidibus acutis, crenata, sæpe etiam angulo aut dente prominente inter basim et cuspides laterales, septemnervia: tenera tomentoso-ferruginea, veterascentia fere glabra. Stipulæ lanceolatæ, deciduæ.

Flores racemosi, racemis solitariis, erectis, axillaribus, petiolo longioribus: flos quilibet longe peduncularis, pedunculis, petiolis, ramis teneribus, ac calycibus valde tomentosis.

Calyces et corolla ut in præcedenti: hæc tamen minor, pollicaris, et venosa, ac veluti coriacea, quod congeneribus plus minusve convenit.

Fructus piriformis, tomentosus. Capsulæ monospermæ.

Reliqua ut in præcedenti.

Habitat in Insula Bourbon. H. V. S. communicatam a D. de Jussieu.

Haud reperi codicem Commers. ubi hæc species, et aliæ plures sunt descriptæ; quod et dolendum est certe, et lectoribus notum volo.

176. DOMBEYA ANGULATA. (Tab. XXXIX. fig. 1.)

D. Foliis cordatis, subrotundis, supra angulatis, serrato-dentatis, tomentosis: umbellis numerosis: pedunculis communibus petiolo brevioribus.

Stewartia foliis cordato-angulatis. *Commers. herb. Figurat.*

Caulis arboreus, ramis tomentosis.

Folia cordata, subrotunda, apice tribus angulis, prope basim quandoque utrim-

que altero notata, tomentosa, septemnervia, serrato-denticulata, quinque pollicum fere diametri. Stipulae latae, oblongae, acuminatae, amplexicaules, deciduae.

Flores umbellati, umbellis solitariis, numerosis, axillaribus. Pedunculus communis pollicaris, crassus, lignosus: radii subdecem vix trium linearum, tomentosi.

Calyx exterior . . . interior tomentosus, profunde quinquepartitus, laciniis parvis, fructum continentibus.

Stylus parvus: stigmata quinque, longiora, villosa, permanentia.

Fructus globosus intra calycem. Capsulae quinque, uniloculares, bivalves, dispermae, tomentosae.

Semina subovata, subtus acuta.

Habitat in Insula Bourbon. H. V. S. apud D. Thouin, exemplar unicum.

Nota. In hoc unico exemplari, quod exactissime sistit tabula et figura supra dicta, exceptis foliis, quorum inferiora sunt duplo et triplo majora, conservantur plures umbellae fructibus onustae, et in purissimis fructibus petalorum partes ferugineae. Quod sit species Dombeyae nullus dubito: an vero sit eadem quam Commersonius delineatam dedit nomine STEWARTIAE ANGULATAE? affirmare non audeo. Folia enim quamquam magnitudine et figura sint omnino eadem, inflorescentia tamen diversa est. In hac mea, ut dixi, flores sunt umbellati, umbellis numerosis, axillaribus, solitariis, radiis decem, pedunculo pollicari: in illa vero Commersonii, flores sunt corymboso-ramosi corymbis longius pedunculatis. Stylus quoque longus: calyx interior reflexus: ac fructus lanatus. Si ergo haec omnia, ut videtur, speciem diversam constituunt, rectius ad D. ACUTANGULAM revocabitur Commersonii STEWARTIA ANGULATA, cum qua omnino convenit, foliorum angulis exceptis, qui acutiores sunt in ACUTANGULA, nec folia ita subrotunda.

177. DOMBEYA TILIÆFOLIA. (Tab. XXXIX. fig. 2.)

D. Foliis cordatis, subrotundo-acutis, crenatis, floribus racemoso-corymbosis.

Caulis arboreus, ramis teneribus, valde tomentosus, quemadmodum et pedunculi, calyces ac petioli.

Folia alterna, numerosa, petiolata, petiolis subaequalia, cordata, subrotundo-acuta (magnitudine et figura tiliæ europæae), crenata: tenera tomentosa; venterascentia subglabra, septemnervia. Stipulae sublanceolatae, basi latae, apice acutissimae, villosae.

Flores pedunculati, pedunculis axillaribus, solitariis, erectis, petiolo longioribus, apice in duos racemos oppositos horizontales partitis, in quibus flores plures breviter pedunculati.

Calyx exterior ex tribus foliolis; media reniformi, sessili, latiori; lateralibus ovatis breviter, petiolatis; interior reflexus.

Corolla pollicaris, petalis subrotundis, unguibus angustatis.

Reliqua ut in DOMBEYA ACUTANGULA.

Habitat cum precedentibus. H. V. S. communicatam a D. de Jussieu.

Nota. Quam haec species conveniat omnino cum D. ACUTANGULA quoad inflo-

rescentiam atque habitum, nolui figuras multiplicare, eaque delineavi dumtaxat, quæ diversa sunt: reliqua ex descriptione fluunt.

178. DOMBEYA TOMENTOSA. (Tab. XXXIX. fig. 3.)

D. Foliis cordatis, subrotundis, crenatis, tomentosis, venosis, venis fere circularibus, floribus umbellatis.

Caulis arboreus, ramosus, ramis ut et tota arbore valde tomentosis.

Folia alterna, longe petiolata, petiolis subæqualia, cordata, subrotundo-acuta, venosa, venis arcuatis, arcibus quasi ex petioli tamquam centro descriptis, septemnervia, valde tomentosa, crenata. Stipulæ coriaceæ, lato-ovatae, acuminatæ, ciliatæ, semiamplexicaules.

Flores umbellati: pedunculus communis longissimus, axillaris, solitarius in summitate ramorum: apice bifurcatus, duabus umbellis terminatus: radii sub 20 pollicares: ex bifurcatione pedunculus solitarius longior, uniflorus.

Calyx exterior triphyllus: foliolo medio cordato, subrotundo-acuto, sessili, venoso: lateralibus subovatis, in petiolulum desinentibus: interior paulo major, laciniis reflexis.

Corollæ petala subrotundo-falcata, unguibus angustata.

Reliqua ut in congeneribus: at antheræ breves.

Fructus deest in exemplaribus.

Habitat in Madagascar. H. Observata a Commersonio. V. S. apud DD. de Jussieu et Thouin, quorum quisque exemplar unicum conservat.

** CALYCIS EXTERIORIS FOLIOLA ANGUSTISSIMA.

179. DOMBEYA PUNCTATA. (Tab. XL. fig. 1.)

D. Foliis ovato-lanceolatis, longis, integerrimis, subtus tomentosis, desuper punctato-scabris.

Stewartia arborea, foliis integerrimis, ovato-lanceolatis, desuper punctato-scabris, subtus tomentosis. *Commers. ms. codice 2. pag. 96. Figurat.*

Arbor ad tibiam femurisque crassitiem perveniens, cortice e bruno nigricante vestita. Rami alterni, annotini, tomentosi, eorumque cimis, uti et foliorum florumque pedunculis, rufa quasi ferrugine inspersi.

Folia ovato-oblonga, tres quatuorve pollices longa, latitudine circiter sesquipollicaria, marginibus subintegerrima (in nonnullis quasi crenulas aut sinuositates parum profundas video), et non nisi leviter repanda: basi rotundata, apice obtuse aut acute terminata: in pagina superiori punctato-scabra, quæ puncta sunt pili breves, stellatimque radiati, depressi, exalbidi; subtus tomentosa, venis subferrugineis: petioli foliis quintuplo vel sextuplo breviores.

Stipule anguste lanceolatae, acutissima, longa, tomentosa, decidua.

Flores pedunculo communi, longo, axillari, elevati, umbellatim compositi, albi (initio intelligatur; flores enim veterascentes ferruginei sunt): umbone et staminibus purpurascente, semipollicis diametro vix majores. Scilicet a summitate pedunculi communis oriuntur pedicelli plurimi partiales 20-30, semipollicares: singuli singulo flore terminati, collective umbellam æqualem sed globosam efformantes.

Perianthium certe duplex: exterius scilicet subtriphylum, foliolis subulatis;

sed adeo caducis, ut etiam, antequam flos aperiatur, jam defluerint. (*Idem ceteris speciebus evenit.*) Interius monophyllum profunde quinquepartitum, laciniis anguste et acute lanceolatis, patulissimis, imo et reflexis: utrumque extreme tomentosum.

Corolla, si monopetala, ad basim usque quinquepartita, petalis patentissimis, subovatis, non tantum hinc disjectis, sed etiam obliquatim emarginatis.

Stamina: filamenta basi in coronam coalita, apice libera numero XV, quorum quinque longiora, sed antheris castrata, et apice dumtaxat complanata. (*Error hic suspicor quoniam XX sunt stamina; loco enim verbi QUORUM fortasse ADHUC substituendum, ut dicta cum natura consentiant.*) Reliqua antherifera flore dimidio breviora: *antheræ oblongiusculæ, parvæ.*

Germen subrotundum, tomentosum, vel si mavis subhirsutum, ex cujus autem hirsutie styli nulli exerebantur. An abortum passi? *Ego arborem dioicam credo, cujus marem dumtaxat vidit Cl. auctor, qui, ni morte præoccupatus fuerit, et feminam reperisset, et nonnulla castigasset, quæ calamo currente ipsi exciderunt.*

Ex horum (*stylorum*) defectu secundum faciem proprium genus conjectabamus. Fructificationis reliqua etiam desiderabantur.

Habitat in Insula Bourbon, quum in Caffrorum planitiem versus fluminis ripam descenditur. Florebat ultimo Maio 1771. H. V. S. communicatam a D. de Jussieu.

In Botanicorum gratiam articulum integrum ad verbum transcripsi ex Commers. manuscriptis; ut appareat quanta claritate quantaque diligentia id fecerit. Quæ vero characteribus italicis immixta sunt, addidi et ego claritatis gratia.

180. DOMBEYA DECANTHERA (Tab. XL, fig. 2.)

D. Foliis ovatis, acumine terminatis, repando-crenatis, glabris: staminibus quinque diantheris; floribus parvis, umbellatis.

Caulis arborescens, cortice fusco, sulcato, vestitus.

Folia alterna, sparsa, petiolata, petiolis quadruplo longiora, ovata, acumine acuto terminata, lato-crenata, vel repanda, glaberrima. Stipulæ subovatae, oblongæ, deciduæ.

Flores umbellati, pedunculis communibus axillaribus, solitariis in summitate ramorum, folio brevioribus: radii 15-20 duarum aut trium linearum.

Calyx exterior ex tribus setulis minimis, lateralibus: interioris lacinia acuta. Uterque glaber.

Corolla parva, vix trium linearum diametri, figura et colore congenerum.

Stamina: filamenta decem basi in urceolum coalita, corollâ breviora: quorum quinque sterilia, latiora, longiora; fertilia quinque alternantia duplo breviora, antheras duas sustinentia, quarum altera superior breviter stipitata, inferior subsessilis: antheræ subsagittata, breves.

Germen ovato-pentagonum, minimum. Stylus simplex brevis, apice bi-trifidus. Stigmata rubra, revoluta.

Fructus (maturitatem nedum attigerat) parvus, pentagonus: sectusque cellulas quinque sistebat monospermas, quas capsulas esse reputo.

Habitat in Madagascari. H. Observata a D. Commerson. V. S. communicatam a DD. de Jussieu et Thouin.

Observ. *Hæc species differt a congeneribus stigmatum ac staminum fertilium numero; essentia tamen integra manet, quippe que in staminibus quinque sterilibus longioribus atque calyce exteriori triphylo consistit.*

181. *DOMBEYA UMBELLATA.* (Tab. XLI. fig. 1.)

D. Foliis cordatis, ovato-oblongis, acuminatis, repandis, glabris: floribus umbellatis globosis.

Arbor omnino glabra, cortice fusco vestita.

Folia petiolata, petiolis longiora, cordata, ovato-acuminata glabra, repanda; vel obsolate et lato-crenata. Stipulæ breves, sublineares, deciduæ.

Flores umbellati; pedunculi communes solitarii, axillares, in summitate ramorum rubescentes, glaberrimi, folio breviores; umbella unica terminati globosa: radii numerosi 20-30 quam proxime pollicares.

Calycis exterioris foliola parva, lanceolata, lateralia: interioris lacinia anguste lanceolata, reflexa.

Corolla major quam in precedenti, patens, petalis subrotundo-falcatis: initio albicantibus, fructu maturo saturate ferrugineis, persistentibus.

Fructus globosus, quinesulcatus, tomentosus: capsulæ quinque, monospermæ, bivalves.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat in Insula Bourbon. H. In Figura folia sunt breviora magnitudine naturali. V. S. communicatam a D. de Jussieu.

Ex hujus cortice parantur funes.

182. *DOMBEYA OVATA.* (Tab. XLI. fig. 2.)

D. Foliis ovatis, dentatis, quinquenerviis, tomentosis: stylo minimo.

Caulis frutescens, vel arborescens, ramosus, tomento ferrugineo tectus.

Folia alterna, ovato-acuta, dentata, subtus alba, tomentosa, desuper scabra, petiolis dupla. Stipulæ capillares, erectæ, tomentosæ, deciduæ.

Flores in pedunculis axillaribus, solitariis, folio brevioribus, erectis, in summitate ramorum. Pedunculi supra bifurcati, bifurcationibus corymbosis: flos quilibet pedunculatus.

Calycis exterioris foliola anguste lanceolata, tomentosa: interioris lacinia acuta, nec reflexa.

Corolla calyce paulo major patens: petala angusta, apice subrotunda nec falcata, integerrima, colore precedentis: eorum unguis cum fructu remanentibus, saturate ferrugineis.

Stamina ut in congeneribus, corollâ breviora; quinque sterilia parum reliquis longiora.

Germen minimum, villosum. Stylus simplex, attamen ita minimus ut nudis oculis videri nequeat, nisi fructu maturo. Stigmata quinque crassiuscula, erecta, rubra, stylo longiora, quamquam alioquin minima.

Fructus globoso-pentagonus intra calycis lacinias. Capsulæ quinque, subtomentosæ, uniloculares, bivalves, monospermæ. Semina ovato-acuminata, nigra.

Habitat in Insula Bourbon. H. V. S. communicatam a D. de Jussieu.

Obs. *Hæc quoque species ac subsequens differunt a congeneribus stylo brevissimo; qui tamen manifeste patet, fructu maturo.*

183. DOMBEYA FERRUGINEA. (Tab. XLII. fig. 2.)

D. Foliis ovato-oblongis septemnerviis, subtus ferrugineis, petiolis, pedunculis, calycibusque tomentosis.

Stewartia Malacodendron? foliis subterioribus, petiolis, pedunculis calycibusque tomentosis. *Commers. mss. codice 4. p. 107.*

Caulis arborecens, ab octo ad decem pedes altus in loco natali (hic in Europa vix quatuor prætergreditur), ramis præsertim junioribus, tomento rufo vestitis.

Folia in extremis ramis alternatim sparsa, ovato-acuminata, dentato-serrulata, subtus tomentosa, tomento rufescente; in junioribus albicante, supra viridia, glabra.

Nervi septem; intermedius utrimque ramosus; qui ad basim reperiuntur simplicissimi, breves, marginales: quatuor reliqui a latere exteriori ramosi. Stipula subulata, tomentosa, cito decedentes.

Flores in pedunculis axillaribus, solitariis, petiolo duplo longioribus, subrecetis, in summo dichotomis, corymbatim multifloris.

Calyces et corolla ut in præcedenti: hujus color xerampelinus. Stamina ut in præcedenti: antheræ oblongiusculæ.

Germen subrotundum, hirsutiusculum, colore rubellum; stylus simplex, minimus, in quinque fila partitus staminibus breviora: stigmata simplicia.

Fructus tomentosus, subrotundo-pentagonus: capsulæ quinque, uniloculares, loculis monospermis. Semina oblongiuscula, a parte contactus carinata, illinc convexa.

Habitat in summo cacumine montis Trimamis Insule Mauritanæ, observata cum floribus abeuntibus, serioribus et seminibus maturis a D. Comm. Maio 1769.

V. S. cum fructibus et floribus apud D. de Jussieu: vivam vero in R. H. P. ubi necdum floruit.

Observ. I. *Eritne præcedentis varietas? Folia sunt certe diversa, hic septemnervia et valde dentata, illic quinquenervia dumtaxat dentibusque distantibus: FERRUGINEA folia habet acumine terminata, basi multo latiora; OVATA vero folia habet ovata.*

II. *Quamquam Commersonius, ex cujus manuscriptis quedam transcripsi, nihil dicat de calyce exteriori, hic nihilominus vere existit: qui tamen quum citissime decidat in hoc genere ante floris scilicet expansionem, mirandum non est si Cl. auctor non invenerit nisi calycem internam profundissime quinquepartitum, quum flores dumtaxat viderit abeuntis, et seriores, ac proinde expansos.*

III. *Neque stamina quinque steriliz huic speciei inesse asseruit Commersonius, quæ ego in siccis exemplaribus certissime vidi: in eundem etiam errorem incidit quum Assoniam descripsit, de qua supra diximus.*

IV. *Quum stylos quinque huic planta concedit auctor, humani quidquam est passus: stylus enim quamquam minimus, simplex est, stigmatibus quinque persistentibus terminatus.*

Dum vero tanti hominis et labores et scientiam libentissime atque grato animo prædico

prædico, nemo mihi in vitium vertat, si in Botanica profectum castigatas atque ornatas nunc primum prodo plantas pulcherrimas quas ipsi debemus, quarum descriptioni et ipse ultimam manum imposuisset, si præmatura morte in Botanica detrimentum non excidisset.

V. Specimen siccum vidi apud D. de Lamarck fructibus onustum, quodque provenit ex itinere D. Sonnerat, quod ad hanc speciem revoco tanquam varietatem.

184. DOMBEYA PHŒNICEA. (Tab. XLIII. fig. 1.)

D. Foliis subhastatis, longissimis, angustis, crenato-serratis: floribus saturate purpureis, cernuis.

Pentapetes Phœnicea foliis hastato-lanceolatis serratis. *Lin. Sp. pl. ad genus Pentap. n. 1.*

Alcea lamaicensis fruticosa, floribus purpureis, oblongo crenato folio, acuminato, molli, et incano? *Pluk. Almag. 16. Phyt. T. 255. f. 3.*

Pentapetes Phœnicea. *Miller illust. sist. sexualis Monad. dodecand. fig. optima.*

Pentapetes Phœnicea? *Chr. Jac. Trew. t. V. primæ decadis pag. 7. et 8.*

Flos impius? *Rumph. Amboi. lib. 8, cap. 71, p. 288, tab. 100, fig. 1.*

Blattaria Zeylanica flore amplo coccineo. *Commel. hort. 1. p. 11. t. 6.*

Caulis erectus, teres, pilis minimis raris ornatus, apud me sesquipedalis.

Folia alterna petiolis multoties longiora, subhastata, angusta, longissima, acuminata, superiora serrata, inferiora crenata. Stipulæ lanceolatæ, erectæ, deciduæ.

Flores axillares solitarii, rarius bini, pedunculati, pedunculis petiolo brevioribus, initio erectis, flore expanso cernuis, fructiferis iterum erectis.

Calyx duplex: exterior ex tribus foliolis lanceolatis rubescentibus, post floris expansionem deciduis: interior profunde quinquepartitus, laciniis ovato-acuminatis, acumine peracuto, sæpe reflexo: uterque tomentosus.

Corolla coccinea, campanulato-patens: petalis quinque subrotundis, unguibus angustis, urceolo staminum pentagono affixis.

Stamina: filamenta 20. horum quinque sterilia, coccinea, linguæformia, longitudine fere corollæ: fertilia minima: antheræ luteæ, subsagittatæ, erectæ.

Germen globosum: stylus simplex, persistens, longitudine fere corollæ, apice quinquepartitus: stigmatibus sæpe sæpius in clavam coalitis, aliquando revolutis.

Fructus intra calycem. Capsula globoso-ovata, subtomentosa, quinquelocularis, quinquevalvis: in singulis loculis semina octo, duabus lineis curvis quadridentatis affixa: ad valvularum suturam plumula interne reperitur semina subglobosa regens, estque albicans, sublanceolata, arcuata, utrimque barbata.

Habitat in Manilla et passim in India Orientali. Habui florentem mense Augusto nunquam vivam. Colitur in R. H. P. 2.

Obs. Filamenta fertilia quandoque a numero 15 recedunt. Corolla cum urceolo et staminibus decidit tertia die.

Consulatur præfatio, ubi explicatur præcipuum munus ac utilitas staminum sterilium; ibique reperientur momenta, quibus adductus a Linnæi sententia discesserim, quibusque auctoris encyclopedici dictis satisfeci.

P A R S X I I .

PENTAPETEM COMPLECTENS.

CHARACTER GENERICUS PENTAPETIS.

Secundum Amman.

Secundum Linn. nov. gen. plant. 1749.

Calyx simplex, monophyllus, crassus, quinquepartitus, laciniis oblongis, reflexis, intus glabris, extus fulva lanugine obsitis.
Corolla: petala quinque, longa, acuta.

Stamina: filamenta plura, corollae fere longitudinis. Antheræ. . . .

Germen ovatum, pedicellatum, pediculo longitudine staminum, nonnihil incurvo.

Fructus oblongus, lignosus, utrimque angustatus, in medio tumidus, quinquelocularis, loculamentis bivalvibus, polyspermis.

Semina plura, oblonga, compressa, alata (a).

Cal. quinquepartitus: foliolis coriaceis, oblongis, reflexis, interne lanatis.

Cor. petala quinque lanceolata, patentia, longitudine calycis.

Stamina: filamenta quindecim linearia, basi connata in tubum. Antheræ subulatae, erectae.

Filamenta quinque, filiformia, inflexa, eodem tubo innata, sterilia, antheris longiora, inter singula tria stamina, singula.

Germen subrotundum. Stylus cylindraceus longitudine staminum. Stigma crassiusculum.

Capsula lignosa, clavato-ovata, quinquelocularis, loculamentis bivalvibus.

Sem. plura oblonga compressa, ala membranacea (a).

185. PENTAPETES SUBERIFOLIA. (Tab. XLIII. fig. 2.)

P. Foliis oblongis, repandis, apice sinuatis, acuminatis, subtus incanis.

Pterospermadendron suberis folio anguloso, subtus incano: floribus albis.
Ioan. Amman. in Comm. Acad. Imper. Petropolit. t. 8. pag. 215. et seqq. tab. 15.

Arbor Champacæ suberis folio, fructu ligneo, seminibus alatis referto. *Mus. Petiv. n.º. 349. apud Am. loco citato.*

Pentapetes suberifolia foliis ovatis, repandis. *Linn. n.º. 2.*

Caulis arboreus, ramis rectis, cortice fusco obductis.

Folia nullo ordine (*in sicco video alterna Cav.*) disposita, breviter petiolata; oblonga, tripollicaria, versus apicem angulosa, crassa, superne viridia, inferne incana, nervo unico longitudinali hac pagina protuberante. Stipulae, (*nec vestigia vidi Cav.*)

(a) Si laudati auctores ejusdem plantæ characteres dederunt (ut ego quidem arbitror), fatendum erit Ammanium incorrectos dedisse, si Linnæus in sicco perfectius plantas observavit, qui numquam debuisset ad hoc genus reducere illam, quam P. Phœniceam nominavit reluctante fructu, stigmatibus atque calyce duplici.

Flores in ramulorum summitatibus axillares, solitarii, bini aut terni.
 Calyx monophyllus, crassus, laciniis revolutis, intus glabris, extus fulva lanugine obsitis.

Corolla: petala quinque alba, pollicaria, longa, acuta.

Reliqua ut supra in descriptione characteris generici.

Habitat in India. H. V. exemplar siccum floribus ac fructibus orbatum. Communicatum a D. de Lamarck, ex collectis a D. Sonnerat.

186. PENTAPETES ACERIFOLIA. (Tab. XLIV.)

P. Foliis cordatis repandis. *Linn. n^o. 3.*

Pterospermadendron foliis auritis, flore, fructuque majori. *Ioan. Am. loco citato, t. 16 et 17.*

Caulis arboreus.

Folia alterna, breviter petiolata, cordata, lobis inferioribus subrotundis, obtuse sinuata, apice subrotunda, semipedalia, longitudine latitudinem haud multo superante. Nervus longitudinalis protuberans ramosus, ex cujus basi et apice petioli tres ulterius nervi ramosi (*hæc desumpta sunt ex figura.*)

Reliqua ut in præcedenti, at multo majora ut ex figuris patet.

Habitat in India. H. Nullibi vidi nisi depictam.

PARS XIII.

DE MALVAVISCO.

CHARACTER GENERICUS MALVAVISCI.

Calyx persistens, duplex: exterior 8-phyllus foliolis linearibus basi coalitis; interior monophyllus, tubulosus, 10-striatus, apice quinquedentatus.

Corolla: petala quinque basi auriculata, in tubum convoluta.

Tubus longissimus, contortus, germen cingens, tubulosus, versus apicem filamenta numerosa sustinens; antheræ reniformes.

Germen sphaericum: stylus simplex, longus, apice decemfidus: stigmata globosa.

Fructus drupa sphaerica, glabra, quinquelocularis, loculis monospermis.

Semina subreniformitriquetra.

Obs. *Differt a PAVONIA petalis basi auriculatis, tubo contorto, ac fructu drupaceo; ab HIBISCO stigmatibus, tubo contorto et fructu.*

187. MALVAVISCUS ARBOREUS. *Dillen. (Tab. XLVIII. fig. 1.)*

M. Caule arboreo, foliis cordatis, crenatis, acuminatis, tomentosis.

M. arboreus flore miniato clauso. *Dill. Elth. 210. t. 170. f. 108.*

Hibiscus foliis cordatis, crenatis, angulis lateralibus extimis parvis; caule arboreo. *L. sp. pl. ad genus Hib. n^o. 10. Hort Clif. 349.*

Hibiscus frutescens foliis angulatis, cordatis, acuminatis; petalis ab uno latere auritis. *Brow. Lam. 284.*

Alcea indica arborea, folio molli, flore amplo eleganter coccineo. *Pluk. Alm. 14. tab. 257. f. 1.*

Caulis arboreus decempedalis et amplius, ramosus.

Folia petiolata, cordata, crenata, tomentosa, subtriloba, lobo medio productiore, acuminato. Stipulae setaceae, parvae, marcescentes.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis villosis, petiolo brevioribus.

Calyces ut supra.

Corolla saturate coccinea.

Tubus coccineus contortus in spiram, erectus, longissimus.

Stigmata hispida, nigricantia.

Habitat in Mexico. *J. VV. in R. H. P. Floret mensibus Sept. Oct.*

P A R S X I V.

PAVONIAM COMPLECTENS (a).

CHARACTER GENERICUS PAVONIÆ.

Calyx duplex: exterior polyphyllus; interior monophyllus semiquinquepartitus, persistentes.

Corolla: petala quinque patentia, subrotunda, unguibus angustata, atque tubi staminiferi basi affixa.

Tubus germen cingens, in columnam assurgens, stylum vaginans atque stamina sustinens apice, et in superficie.

Stamina: filamenta plura, brevia, tubo affixa: antherae reniformes.

Germen globosum, sulcatum. Stylus simplex: stigmata 8-10.

Fructus intra calyces ex quinque capsulis compositus, in orbem positus, articulatim dehiscentibus, unilocularibus, bivalvibus, monospermis.

Semina basi acuta, oblongiuscula.

Obs. PAVONIÆ omnes sunt exotica, et fere omnes fruticosa. Delectantur in regionibus calidioribus utriusque Indiae. Usus hucusque incognitus. Flores pulcherrimi lutescentes aut coccinei, semel dumtaxat explicantur ac decidunt.

(a) In honorem D. JOSEPHI PAVON Hispani, qui una cum DD. DOMBEY et RUIZ iter Chinesense et Peruvianum peregit, quique adhuc peregrinatur.

* CAPSULÆ SPINOSÆ.

188. PAVONIA SPINIFEX. (Tab. XLV. fig. 2.)

P. Caule arborescente : foliis ovato-lanceolatis inæqualiter dentatis : tubo et stigmatibus decumbentibus : capsulis aristatis.

Hibiscus (spinifex) foliis cordatis, crenatis, indivisis, capsulis spinis exstantibus.

Jacq. Amer. 196. hort. t. 103. apud Linn. Spec. pl. ad genus hib. n^o. 11.

Abutilon palustre, flore luteo, fructu aculeato majore. Plum. mss. t. 4, f. 11.

Abutilon americanum fruticosum, folio subrotundo, flore luteo, fructu aculeato majore. Burm. icon. 1.

Bichierva. Surian. herb. n^o. 369.

Caulis frutico-arborescens, ramosus, in vasis 4-pedalis.

Folia breviter petiolata, subscabra, ovato-lanceolata (in aliqua varietate cordata), inæqualiter dentata, acuminata. Stipulæ angustæ, lanceolatæ, erectæ.

Flores solitarii, axillares, pedunculati, pedunculis folio brevioribus, initio erectis; fructiferis, ad ramum, aut caulem perpendicularibus; petiolo multoties longioribus.

Calyx exterior septemphyllus, foliolis linearibus, acutis, patulis: interior vix longior: laciniis lato-acutis, ciliatis.

Corolla saturate lutea, magna.

Stamina: filamenta plurima, per tubi deflexi superficiem sparsa: antheræ reniformes.

Germen ovatum. Stylus simplex, octofidus: stigmata globosa, villosa.

Fructus intra calycem. Capsulæ quinque, subtriquetræ: harum singulis spinæ sunt duæ laterales, hamatæ; et tertia erecta terminalis, quæ in duas separatur quum valvulæ dehiscunt. Semen ovatum, interne nonnihil compressum.

Habitat in America meridionali, in umbrosis et humidis prope originem Maragnon. Y. Colitur in R. H. P. Habui florentem mensibus Julio. Aug. Sept. et in hibernaculis per integrum fere annum.

Obs. Quinque tantum foliola numerat Linnaeus in calyce exteriori: ego septem reperi.

Variat foliis cordatis subrotundis. Herb. Jus.

189. PAVONIA ARISTATA. (Tab. XLV. fig. 3.)

P. Caule fruticoso humili: foliis cordatis, ovato-lanceolatis, crenatis, scabriusculis: floribus solitariis, parvis: capsulis aristatis.

Hibiscus aristatus. Jussieu, H. R. P.

Caulis fruticosus, humillimus, ramis pluribus fere pedalibus, virgatis, glabris.

Folia alterna, duriuscula, breviter petiolata: stipulæ angustissimæ, lineares, erectæ.

Flores solitarii, axillares, pedunculati; pedunculis brevibus, petiolo subæqualibus, fructiferis ad latus deflexis.

Calyx exterior ex 6-7 foliolis sublinearibus, supra paulo latioribus: fructiferis in stellam apertis: interior ut in præcedenti.

Corolla lutea calyce vix major (numquam vidi apertam, quamquam centies apud me frutex fructificaverit.)

Stamina : filamenta minima in superficie tubi parvi : antheræ reniformes.

Germen ovatum, denticulis quinque prominentibus. Stylus simplex octofidus : stigmata villosa.

Fructus omnino idem ac præcedentis, at fere duplo minor.

Habitat in America. H. Habui florentem a mense Augusto usque ad Decemb. Colitur in R. H. P.

Arbuscula sunt omnino diversa quamquam fructu convenient. Pavonia spinifex ad quatuor pedes etiam in vasis crescit ; pedunculos habet petiolo quadruplo longiores, et corollam magnam, patentissimam : Pav. vero aristata vix pedalis est ; corolla minima ornatur, pedunculisque petiolo subæqualibus.

190. PAVONIA TYPHALÆA.

P. Foliis ellipticis, capsulis recurvato-tridentatis.

Urena typhalæa. *Lin. sp. pl. n.º. 3.*

Urena fruticulosa, foliis serratis oblongis, floribus conglobatis, pedunculis longissimis terminalibus. *Brown. lam. 281.*

Malva scabiosæ folio, capsulis tridentatis, vestibis adhærentibus. *Barrer. Æquin. 73.*

Caulis frutescens.

Folia oblongo-ovata, utrimque acuta, serrata. Bracteæ confertæ pedunculos distinguentes. Pedicelli approximati, uniflori.

Calyx exterior monophyllus, quinquepartitus : interior semiquinquefidus, ambo persistentes.

Corolla alba.

Germen. . . Stylus decemfidus stigmatibus capitatis.

Fructus quinquecapsularis : capsulis mucronibus tribus, subulatis, retro denticulatis, medio longiore, monospermis.

Habitat in Surinamo, Jamaica. H.

Plantam hanc nullibi vidi : supradictam descriptionem ex Lin. desumsi loco citato, ex qua inter PAVONIAS adnumeravi. URENÆ enim calyx interior est pentaphyllus, atque capsulæ echinata, ut reliqua prætermittam, quæ in V. dissertatione exponam.

** CALYX INTERIOR BREVIOR, EXTERIORI CANCELATUS.

191. PAVONIA ZEYLANICA. (Tab. XLVIII. fig. 2.)

P. Caule herbaceo hirtio ; foliis cordatis, crenato-dentatis : inferioribus subrotundis, reliquis profunde 3-5 fissis : pedunculis elongatis, geniculatis, unifloris.

Alcea pentacoccus, ranunculi auricomi folio et facie. *Pluk. Alm. 13. tom. 125. f. 3.*

Hibiscus (zeylanicus) foliis cordato-hastatis, pedunculis alternis unifloris geniculatis? *Linn. sp. pl. ad genus Hibis. n.º. 22. Burm. ind. 153. t. 48. f. 2.*

Caulis teres, erectus, herbaceus, pilis longis albis, glanduliferis, hirtus, arenaeus, pedalis ; ramis alternis, inferioribus longioribus.

Folia cordata, crenato-dentata, scabriuscula, subtus glandulifera : inferiora subrotunda, reliqua profunde 3-5 fissa. Stipulae subulatae, parvae.

Flores solitarii, laterales, pedunculati; pedunculis erectis, pilosis, pilis glanduliferis, geniculatis, petiolo longioribus.

Calyx exterior ex decem setis pilosis, pilis glanduliferis; basi in hemisphaerium arcuatis, supra conniventibus : interior dimidio brevior, laciniis lanceolatis.

Corolla campanulato-patens, albido-rosea : petalis basi tubum ampliatum formantibus.

Stamina : filamenta decem e media tubi parte prodeuntia, horum saepe quinque ex illius basi, tuncque longiora, alba : antherae reniformes.

Germen globosum. Stylus simplex supra decemfidus. Stigmata purpurea, globosa, tomentosa.

Fructus calyce exteriori cancellatus (ut in attractili cancellata), ipsoque minor; major tamen interiori, globosus, quinesulcatus, ex capsulis quinque monospermis, subtriquetris. Semina subtriquetro-ovata.

Habitat in Zeylona. ☉. Habui florentem mensibus Augusto et Septembri. Colitur in R. H. P.

Obs. Valde suspicor Cl. Lin. diversam a nostra plantam descripsisse nomine *Hibisci zeylanici*, eam scilicet quam Burmanus delineavit in sua *Flora Ind.* t. 48. Primo enim corolla in nostra numquam incarnata, qualem pro sua adstruit Linnaeus. 2°. Folia sunt illi plurima cordata, subrotunda, crenata, parva, quae in Linnaeana deficiunt. 3°. Tandem nulla in Pavonia nostra observantur folia cordato-hastata, ut in Linnæi et Burmani planta reperiuntur. An fortasse specie differant?

192. PAVONIA CANCELLATA.

P. Caule debili hirtio, foliis cordatis serratis, calycibus globosis : radiis vicens, subulatis, hirtis. *Lin. supp. p. 311. ubi nominatur Hibiscus cancellatus.*

Caulis herbaceus filiformis, prostratus, pilosus uti tota planta.

Folia alterna, petiolata, sagittato-cordata, dentata. Stipulae. . . .

Pedunculi axillares, uniflori, petiolis longiores.

Calyx exterior globoso-inflatus, e radiis viginti, setaceis, pilosis : interior parvus, quinquefidus.

Corolla, stamina, pistillum, generis.

Stigmata decem.

Capsula semi-pentacocca, loculis quinque.

Semina plurima.

Habitat in Surinamo. Dalberg. ex dicto supplemento.

Ut dubiam PAVONII adnecto, quamquam stigmata decem capsulas quinque monospermas indicent. Si plantam vidissem, et genus certe determinassem, et quae Linnaeus prætermisit, addidissem.

193. PAVONIA PANICULATA. (Tab. XLVI. fig. 2.)

P. Caule hirtio, ramoso : foliis cordatis, subrotundis, acuminatis, crenato-dentatis, saepe tricuspidatis : floribus paniculatis genitalibus declinatis.

Hibiscus paniculatus. *Dombey herb.*

- Foliis exceptis, tota planta pilis albis nec pungentibus hirta.
 Caulis teres, ramosus, ramis erectis plusquam 4-pedalis.
 Folia alterna, distantia, petiolata, petiolis longiora, cordata, subrotundo-acuminata, inferiora 3-5 pollicum diametri, crenata, septemnervia, nervis villosis, sapissime tricuspidata, superiora parva, serrato-dentata, quinquenervia, breviter petiolata. Stipula lanceolata, falcata, nervosa, caulem quasi amplectentes.
 Flores numerosi paniculati in summitate ramulorum et caulis.
 Calyx exterior ex 8-9 foliolis angustis, sublinearibus ciliatis: interior minor, semiquinquepartitus, laciniis acuminatis, ciliatis.
 Corolla flava, plusquam pollicaris; petalis subrotundis emarginatis, patentissimis.
 Stamina: filamenta numerosa, oblonga, per integram tubi brevis superficiem sparsa, cum stylo declinata, anthera subrotunda (hæc omnia flava.)
 Germen globosum. Stylus simplex apice 10-fidus; laciniis subtilissimis: stigmata globosa, villosa.
 Fructus parvus, calyce interiore clausus, subrotundo-compressus, subtus acutus. Capsule insculptæ, muticæ, subrotundo-triquetræ, subtus acuminatæ, intus sutura dehiscentes. Semina glabra, subrubra, basi acuta.
Habitat in Peru circa fluminis Maragnon originem prope sylvas. H?
Habui florentem a mense Octobris usque ad Decemb.

*** CALYX EXTERIOR INTERIORE BREVIOR.

194. PAVONIA SPICATA. (Tab. XLVI. fig. 1.)
 P. Foliis cordatis, ovato-acuminatis, serratis, hirtis, rugosis: floribus thyrsis terminalibus.
 Malache scabra. *B. Chr. Vogel in cent. plant. rarior. Trewii fig. 90. color.*
 Abutilon foliis ovato-cordatis, acuminatis, rugosis; floribus thyrsis terminalibus.
Mill. abridg. edit. 5.
 Abutilon americanum palustre, spica florum pyramidata. Flore parvo exalbido?
Plumier. Cat. 2, ms. 4, t. 10.
 Alcea fruticosa aquatica, folio cordato scabro, flore pallide luteo. *Sloan. Cat. 97, hist. 1, 221, t. 139, f. 2.*
 Herbar. Surian, n^o. 210, 822.
 Radix filamentosa.
 Caules plures, crassi, stricti, albicantes, quinquepedales, ramis pluribus.
 Folia alterna, longe petiolata, cordata, ovato-acuminata, acumine producto, serrata, hirta, luteo-viridia, venosa, petiolis paulo longiora. Stipula lanceolata, acuminata.
 Flores racemoso-spicati, terminales, pedunculati, erecti, ad stipulam axillares.
 Calyx exterior profunde octofidus, ita ut compositus appareat ex octo foliolis lanceolato-acuminatis: interior subtubulosus, quinquecrenatus, crenulis subrotundo-acuminatis, exteriore paulo longior.

Corolla lutea calyce dupla, petalis oblongis, subintegris, erecto-patulis; striis saturatoribus notatis.

Stamina: filamenta plura per superiorem tubi superficiem sparsa: antheræ reniformes.

Germen turbinatum truncatum. Stylus simplex, cylindræus, crassus, tubo paulo longior, capitulo terminatus, in quo globulos 7-8 numeravi, qui sunt stigmata.

Fructus intra calyces, ipsis paulo brevior, ex quinque capsulis subtriquetris, basi acuminatis, supra obtuse tricuspидatis, in duas valvulas dehiscentibus. Semina solitaria obovata.

Habitat in Jamaica. S. Dom. V. S. communicatam a D. de Jussieu.

Obs. Cl. Vogel genus novum ex hac planta constituit Malache nomine, cujus calycem exteriorem 10-fidum dixit. In descriptione et figura alioquin pulcherrima, quadam vidi illustratione ulteriori digna. Stipulae enim præmittuntur, et fructus representatur monocapsularis, quum re vera ex capsulis quinque bivalvibus componatur. Plantam ego examinavi siccissimam atque vetustissimam; quare, si stigmata coaluerint, et si hac de causa ea haud recte enumeravi, planta statui deteriori tribuendum arbitror.

195. PAVONIA URENS. (Tab. XLIX. fig. 1.)

P. Caule fruticoso suburente: foliis palmatis: floribus axillaribus, glomeratis, subsessilibus.

Caulis fruticosus villosissimus (ut et tota planta), pilis deflexis nonnihil urentibus.

Folia alterna, distantia, petiolata, petiolis longiora, cordata, palmata, 3-5-7-lobata, villosissima, suburentia. Stipulae subulatae, longae, erectae, ciliatae, marcescentes.

Flores axillares, glomerati, subsessiles, nutantes, pulcherrimi: pedunculis lanatis.

Calyx exterior 7-9 phyllis, foliolis lanceolatis ciliatis: interior illi subaequalis, laciniis ovato-acutis, ciliatis.

Corolla rosea campanulato-patens: petalorum unguibus saturate rubris: petala oblonga, obtuso-emarginata, striata, tenerima.

Stamina: filamenta incarnata, pauca, fere omnia in tubi extremitate: antheræ reniformes, coccineae: pollen album.

Germen globoso-pentagonum villosum. Stylus simplex. Stigmata decem incrassata, purpurea, apice globosa, hispida.

Fructus intra calycem villosus, globoso-quinquesulcatus, ex quinque capsulis compositus in orbem positus. Capsulae subrotundo triquetrae, basi angustiores, apice acumine brevi prominente. Semina solitaria, apice obtusa, basi acuta.

Habitat. . . H. Habui florentem mensibus Octob. Nov. fructum necdum maturum abstuli die 20 Nov. H.

Obs. Hæc planta primo floruit in hibernaculo R. H. P. mense Martio anni 1785. Illuc usque inter Sidas annumerata fuit, et quod facies SIDAIS congruebat, et quod donata fuerat pluribus abhinc annis dicto nomine SIDAË scilicet. Nihil

ergo mirandum si vir de Botanica bene meritus, temporis angustia coactus et dictis momentis ductus, inter SIDAS descriperit in Dictionario Encyclopedico.

196. PAVONIA HASTATA. (Tab. XLVII. fig. 2.)

P. Foliis hastatis crenato-dentatis, desuper punctatis: floribus solitariis, longe pedunculatis.

Abutilon pedunculis axillaribus, unifloris; foliis subcordatis, tomentosis, crenatis, superne punctato-scabris. *Com. herb.*

Caulis teres, ramosus, subtomentosus, ex fragmentis quæ vidi, plusquam pedalis.

Folia alterna, petiolis multoties longiora, cordata, hastata, crenato-dentata, subtus albicantia; desuper punctato-scabra. Puncta hæc sunt pili minimi, albicantes, in fasciculos stellatos conjuncti, ut in *Dombeya punctata*. Quædam reperiuntur foliola minima, cordata, quæ sensim a figura subrotunda in hastatam perveniunt. Stipulæ brevissimæ, capillares, arcuatæ, tomentosæ, deciduæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculati; pedunculis erectis, petiolo multoties longioribus, folio brevioribus.

Calyx exterior submonophyllus, profundissime partitus in quinque foliola subovata: interior duplo major, semiquinquepartitus, laciniis lato-lanceolatis.

Corolla calyce duplo et amplius major, dilute rubra, venis saturatoribus: petalis subrotundis, unguibus maculatis.

Stamina: filamenta numerosa per tubi superficiem sparsa; antheræ reniformes.

Germen globoso-sulcatum. Stylus simplex, brevis, purpureus, in decem lacinias tubo longiores partitus. Harum binæ sapius coherent, separabiles tamen. Stigmata decem, globosa, villosa.

Fructus intra calycem. Capsulæ absque receptaculo columnari in orbem positæ; suntque subovata, basi acuminata, venosæ, limbo brevi, membranoso a basi ad apicem cinctæ, bivalves, monospermæ. Semina glabra, rubra, subovata, basi acuminata.

Habitat in Brasilia, observata a Commers. V. S. communicatam a D. Thouin.

197. PAVONIA COLUMELLA. (Tab. XLVIII. fig. 3.)

P. Foliis dentatis angulatis: inferioribus latis, superioribus oblongis: floribus axillaribus, solitariis, pedunculo brevi.

Columella malvinda foliis angulatis margine dentatis. *Commers. herb. et ms. cod. 2, p. 166.*

Caulis erecti, ramosi, 3-6 pedes alti, brevissima hirsutie scabriusculi.

Folia alterna fere glabra: inferiora lata, quinqueangulata, angulis acutis dentatis, longe petiolata; superiora sublanceolata, inferiori parte lata, acumine producto. Stipulæ capillares, erectæ.

Flores in summo caule et ramulis axillares, majusculi, purpurascens, solitarii; pedunculis vix duarum linearum.

Calyx exterior ex quinque foliolis, anguste lanceolatis: interior paulo major,

semiquinquefidus, laciniis latioribus, acuminatis.

Corolla purpurascens, malvarum vulgarium similis.

Stamina: filamenta plura per tubum sparsa: antheræ reniformes.

Germen orbiculatum: stylus simplex, supra octofidus, laciniis rubris erectis: stigmata globosa.

Fructus intra calycem, ipsoque minor: compositus ex quinque capsulis, muticis, monospermis, absque receptaculo columnari in orbem positus. Capsula extus convexa et nonnihil rugosa: a parte contactus carinata, ipsa carina dehiscentes, decidua.

Semina reniformia.

Habitat in Insula Bourbon, et abundat ubique juxta vias in mediis sylvis pro conscendenda Caffiorum planitie apertas. Mense Augusto cum flore et fructu obvia. Commers. V. S. apud DD. de Jussieu et Thouin, quorum quilibet unicum exemplar possidet.

Ne plagiato arguar, notum volo me semper auctorum ac peregrinatorum scripta consulere, atque ab ipsis mutuare quæ lucem afferunt.

198. PAVONIA CUNEIFOLIA. (Tab. XLV. fig. 1.)

P. Caule fruticoso: foliis obsolete cordatis, ovato-truncatis crenatis: floribus solitariis, erectis, longe pedunculatis: calycibus glabris.

Hibiscus cuneifolius. *Jussieu, R. H. P.*

Caulis fruticosus, ramosus, in vasis quatuor pedes altus.

Folia in plantis teneris primo anno subrotunda, crenata, latiora quam longa, sesquipollicaria: in vetustioribus ovato-truncata, crenato-dentata apice, basi angustata et obsolete cordata, glabra, rigidiuscula, omnia breviter petiolata. Stipulae breves, setaceae.

Flores solitarii, axillares, pedunculati, pedunculo folio longiori, supra incrassato, geniculato.

Calyx exterior ex 14 quamproxime setis, annulo parvo, glabro, insertis: interior paulo major, subovato-pentagonus, laciniis latis, acutis.

Corolla extus ante expansionem rubens; expansa dilute lutea, petalis subrotundis, patentissimis; folio sæpissime major.

Stamina: filamenta plurima per dimidiam tubi et superiorem superficiei partem sparsa: antheræ reniformes.

Germen globoso-pentagonum: stylus simplex supra 10-fido-stellatus: stigmata incrassata, pubescentia.

Fructus intra calycem ipsoque major. Capsula subovata, altera parte gibba, striata, subtus acuminata.

Semina subovata, subtus acuminata.

Habitat. . . . D. Habui florentem per totam æstatem et in hibernaculis hiberno tempore. Colitur in R. H. P.

199. PAVONIA PRÆMORSA.

P. Hirsuta, foliis ovatis, basi angustato-cordatis, apice præmorsis, crenatis: caly-

cibus tomentosis, seminibus tuberculatis. *Linn. F. supp. p. 309. ubi hibiscus præmorsus nominatur.*

Frutex hortensis, pulcher, floret per totam æstatem.

Folia quasi in medio truncata et crenulata, quinquenervia, mollia.

Flores parvi, lutei.

Capsulæ parvæ, quinæ, tuberculatæ, cum acumine.

Habitat in Africa. H. Differt ab H. Æthiopico calyce non hispido, ex L. supp.

An præcedentis varietas? Si Linnei plantam siccam saltem vidissem, nullo negotio dicerem; calyx tamen in P. CUNEIFOLIA est glaber, floresque satis magni, et folia vetustiora præsertim, duriuscula; tenerrima enim, ut supra dixi, sunt duplo majora neque præmorsa, sed transversim ovata.

200. PAVONIA COCCINEA. (Tab. XLVII. fig. 1.)

P. Foliis cordatis, subtrilobis, pubescentibus: floribus solitariis, coccineis, liliaceis, revolutis.

Malacoides frutescens coccineo flore. *Plumier. mss. 4. t. 19.*

Malva folio hederaceo, flore coccineo. *Plant. catal. Burm. icon. 169. f. 2.*

Mauve épineuse à grande fleur couleur de safran. *Desportes herb. apud D. de Jussieu.*

Caulis frutescens 4-pedalis. Stipites pauci, ramique rari et alterni.

Folia alterna petiolata, petiolis inferioribus pedunculo longioribus, omnibusque in summitate inflexis; cordata, tres pollices ampla, subtriloba, lobo medio productiore, acuminato, dentato-crenata, mollia, et albicante lanugine pubescentia. Stipulæ breves, deflexæ, angustæ, acutissimæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculati; pedunculis horizontalibus in summitate erectis, ut flos sursum spectet.

Calyx exterior ex quinque foliolis lanceolato-acuminatis, interior longior, semi-quinquepartitus, laciniis lanceolatis trinerviis.

Corolla coccinea, magna, duorum pollicum, scilicet ex petalis quinque tubum longum prius formantibus, dehin campanulato-reflexis, lili instar.

Stamina: filamenta plurima coccinea per tubi longi superficiem sparsa: antheræ reniformes.

Germen globosum. Stylus stigmata (nihil de his dixit Plumier, quamquam octo aut decem depinxit globulos in summitate tubi.)

Fructus intra calycem ciceris magnitudine, globoso-acuminatus, ex quinque capsulis compositus; quæ sunt subrotundo-triquetræ, fuscæ, duræ, apice acuminatæ, dorsali membrana erecta prominente instructæ, bivalves. Quævis valvula striis tribus brevibus notatur parte superiore. Semina reniformia solitaria, rufescentia, sublanuginosa, inferne acuta.

Habitat in Insula S. Dominici. H. Observata, descripta atque delineata a P. Plumierio. V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu, fructiferum, flore orbatum.

Obs. Hanc plantam perperam reduxit Lin. ad suum HIB. MALVAVISCUM.

201. PAVONIA PAPILIONACEA. (Tab. XLIX. f. 2.)

P. Caule tereti, tomentoso; foliis cordatis, dentatis, subrotundo-acuminatis:

floribus solitariis : genitalibus declinatis.

Hibiscus papilionaceus. *Banks. herb.*

Caulis teres, ramosus, tomentosus.

Folia distantia, alterna, petiolis subæqualia, cordata, subrotundo-acuta, dentata, duos pollices et amplius lata, longitudine paulo majore. Stipulæ ovato-acutæ, breves.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis petiolo subæqualibus.

Calyx exterior sub 10-phyllus, foliolis lineari-acuminatis, villosis: interior longior, semiquinquepartitus.

Corolla magna, lutea, patentissima, ex petalis ovato-oblongis, apice angustatis.

Tubus longus, luteus, declinatus, filamentis longiusculis onustus versus partem superiorem: antheræ reniformes.

Germen . . . Stylus simplex, longissimus, declinato-ascendens, apice in 8-10 lacinias breves partitus: stigmata parva, globosa.

Fructus (deest in exemplaribus); at ex analogia experientia suffulta, debet componi ex quinque capsulis monospermis, articulatim decidentibus.

Habitat in *Insula Taheity*, florêt mense *Aprili*. *V. S. communicatam a D. Ios. Banks.*

Fieri potest quod *Botanici Galli*, jussu *Regis orbem in præsentiarum lustrantes*, fructus adportent quos, ut prædixi, futuros spero.

HIBISCORUM

TABULA ANALYTICA.

Hibiscus.	Capsularum loculamenta monosperma.	Caulis aculeatus.	Calyx exterior monophyllus.	Calyx interior hemisphaericus.	202 Ovatus.					
					203 Hastatus.					
	Caps. locul. polysperma.	Caulis inermis.	Calyx exter. polyphyllus aut multipart.	Cal. interior semiquinque fid. aut tubul. quinque dentatus.	F. lobata aut angulata.	204 Acuminatus.				
						205 Pentacarpos.				
						206 Vitifolius.				
						207 Striatus.				
						208 Bifurcatus.				
						209 Trilobus.				
						210 Sinuatus.				
						211 Ficulneus.				
212 Cannabineus.										
213 Suratensis.										
214 Radiatus.										
215 Digiatus.										
					216 Tiliaceus.					
					217 Tricuspis.					
					218 Populneus.					
					219 Liliiflorus.					
					220 Lampas.					
										221 Micranthus.
										222 Aethiopicus.
										223 Rhombifolius.
										224 Rigidus.
										225 Hirtus.
226 Phoeniceus.										
227 Unilateralis.										
228 Rosa Sinensis.										
229 Membranaceus.										
230 Cordifolius.										
					231 Lasiocarpus.					
					232 Sororius.					
					233 Senegalensis.					
					234 Tubulosus.					
					235 Urens.					
					236 Ferrugineus.					
										237 Palustris.
										238 Moschentos.
										239 Pedunculatus.
										240 Spicatus.
241 Simplex.										
242 Flavescens.										
243 Brasiliensis.										
244 Mutabilis.										
245 Clypeatus.										
246 Columnaris.										
					247 Micans.					
					248 Abelmosc. us.					
					249 Palmatus.					
					250 Esculentus.					
					251 Syriacus.					
					252 Sabdariffa.					
									F. profunde lissa.	253 Vesicatus.
										254 Trionum.
										255 Ternatus.
										256 Fraternus.
257 Manhiot.										

PARS XV.

DE HIBISCO.

CHARACTER GENERICUS HIBISCI.

Calyx duplex : exterior polyphyllus aut multifidus : interior semiquinquepartitus, aut quinqueidentatus; in hoc casu deciduus, in primo persistens.

Corolla : petala quinque patentia, basi angustata, tubo staminifero inserta.

Tabus germen cingens in conum aut columnam adsurgens, stylum vaginans, atque stamina sustinens apice, et in superficie.

Stamina : filamenta plurima tubo adfixa : antheræ reniformes.

Germen globosum, aut ovarum. Stylus simplex; stigmata quinque.

Fructus capsula unjca, quinquelocularis, quinquevalvis; loculis polyspermis, raro monospermis.

Semina ovato-reniformia, sæpe nuda; aliquando lanata.

Obs. HIBISCI spesies fere omnes sunt exoticæ, atque delectantur in regionibus calidioribus utriusque Indiæ; omnesque pereunt prima glacie, syriaco excepto. Nonnullarum usus æconomicus perutilis quidem : officinalis fere nullus, de quibus in hujus partis decursu.

§. I. Capsularum loculamenta monosperma.

202. HIBISCUS OVATUS. (Tab. L. fig. 3.)

H. Foliis ovatis, integerrimis, ciliatis, trinerviis, subtus villosis : floribus axillaribus, solitariis; pedunculis folio brevioribus.

Caulis teres, ramosus, pilis parvis, erectis obductus, frutescens?

Folia alterna, breviter petiolata, ovato-oblonga, integra, ciliata, trinervia, subtus villosa. Stipulæ parvæ, lineares, ciliatæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculati; pedunculis petiolo longioribus, folio brevioribus.

Calyx exterior ex septem foliolis anguste lanceolatis, ciliatis : interior major, semiquinquefidus, laciniis subovato-acuminatis, ciliatis, nervo dorsali. Ambo persistentes.

Fructus capsula subovata, glabra. Semina reniformia.

Habitat ad Cap. Bonæ Sp. i, unde adportavit D. Sonnerat. V. S. apud D. de Lamarck, unicum exemplar.

Nota. Hæc planta, floribus orbata, fructum habebat exsiccatione adeo deterioratum, ut minime potuerim determinare num esset capsula unica quinquelocularis, an capsula quinque. Semen reperi unicum in altero loculamento satis

magnum, ut solitarium crediderim. An reliqua deciderint? an ad Pavoniam spectet? Dicent qui aut plantam vivam examinare valeant, aut exemplar aliud integrum.

203. HIBISCUS HASTATUS. (Tab. L. fig. 1.)

H. Foliis hastatis, serratis, oblongis, angustis: floribus magnis, solitariis: fructu parvo tomentoso.

Alcea maderaspatana hastatis foliis glabris, pericarpio tantum villosa. *Pluck. t. 127. fig. 2.*

Caulis (ex fragmentis quæ vidi) sulcatus, subtomentosus, plusquam bipedalis. Folia hastata, serrata, anguste oblonga, breviter petiolata. Stipulæ capillares, breves.

Flores axillares, solitarii in summitate caulis, longe pedunculati.

Calyx exterior ex octo quamproxime foliolis lineari-subulatis; interior paulo major quinquefidus, laciniis acuminatis.

Corolla patens plusquam pollicaris: petalis rubescentibus, ovatis, integerrimis.

Stamina: filamenta plurima, per tubi superficiem sparsa: antheræ subrotundæ.

Germen ovatum? Stylus simplex supra in quinque filamenta capillaria longa partitus, quæ colore sunt saturate rubro. Stigmata rubra, globosa.

Fructus parvus, globosus, tomentosus.

Habitat. . . . V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu.

204. HIBISCUS ACUMINATUS. (Tab. L. fig. 2.)

H. Caule tomentoso; foliis cordatis, subrotundo-acuminatis: fructu pentagono, tomentoso, depresso.

Ketmiastrum frutescens folio hastato. *Vaillant herb. n^o. 47. inter Ketmias.*

Alcea indica frutescens hastato folio, &c. pericarpio compacto duro in quinque cellulas totidem semina includentes. *Pluk. Alm. 13. Phyt. tab. 7. f. 1.*

Caulis teres tomentosus, ut et tota planta, bipedalis et ultra.

Folia cordata, crenato-serrata, acuminata, acumine producto; inferiora magna, tricuspidata, cuspidate media multo productiore, apice acutissima. Stipulæ subulatæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculati; pedunculis erectis, vix pollicaribus.

Calyx exterior 7-9-phyllus, foliolis anguste linearibus acutis: interior paulo longior, semiquinquefidus, laciniis acuminatis. Ambo persistentes.

Corolla magna purpureo-rubens: petala subrotunda, patentia, integerrima.

Stamina: filamenta plurima, per tubi superficiem sparsa. Antheræ subrotundæ.

Germen. . . . Stylus simplex, apice partitus in quinque filamenta rubra. Stigmata capitata.

Fructus supra calycem apertum, pentagono-compressus, tomentosus. Semina ovato-reniformia, nigra, glabra.

Habitat. . . . V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu.

205. HIBISCUS PENTACARPOS. *Lin.* (Tab. LXVI. fig. 3.)

H. Caule annuo glaberrimo, foliis cordatis, subhastatis, acuminatis, serratis: floribus subnutantibus.

H. Foliis inferioribus cordatis, angulatis; superioribus subhastatis, floribus subnutantibus, pistillo cernuo. *Lin. sp.* 24.

Ketmia palustris minor, folio angusto, flore parvo purpurascete, fructu depresso pentagono. *Zannich. Venet.* 155. t. 91.

Hib. Virginicus foliis inferioribus cordatis, acuminatis, serratis, superioribus hastatis. *Lin. sp.* 23.

Ex eadem radice perenni caules prodeunt virgati, teretes, glabri, sesquipedales, simplices.

Folia alterna, petiolata, petiolis multo longiora; cordata, dentata: inferiora oblongo-acuminata; superiora subhastata, quinquenervia, magis acuta, subtus nonnihil tomentosa. Stipulae setaceae.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis petiolo longioribus, folio brevioribus, erectis, versus apicem subcernuis.

Calyx exterior ex novem fere foliolis subulatis, patulis; interior longior, laciniis ovatis.

Corolla flavo-purpurea, patens; petalis apice rotundatis.

Stamina: filamenta brevina, lutea, per verticillam disposita in tubi superficie: antherae parvae.

Germen globosum? stylus simplex, apice quinquefidus: stigmata globosa.

Fructus capsula calyce vix major globoso-compressa: loculis monospermis? Semina parva.

Habitat in Astracan. VIRGINICUS in Virginia. H. Vidi saepius vivum, numquam floridum. Quae de fructificatione dixi ex sicco desumpta sunt.

Obs. I. In unum conjunxi HIB. VIRGINICUM et PENTACARPUM LINNAEI ipso innuente. Plukenetii vero synonymum rejeci utpote diversum a nostro Pentacarpis. Consulatur hujus figura IV. tab. VI. Phytogr.

II. Quam examinavi capsulam reperi quinquelocularem, loculis monospermis; num id constanter eveniat, affirmare nequeo.

§. II. CAPSULARUM LOCULAMENTA POLYSERMA.

A. Caulis aculeatus.

206. HIBISCUS VITIFOLIUS. *Lin.* (Tab. LVIII. fig. 2.)

H. Caule herbaceo: foliis quinqueangulatis, crenatis, villosis: floribus solitariis cernuis: capsula pentaptera.

H. Foliis quinqueangularibus, acutis, serratis: caule ineremi; floribus cernuis. *Lin. sp.* 21.

Althaea indica vitis folio, flore amplo flavo pendente. *Herm. lug.* 26. t. 28.

Katu Beloeren. *Rheed, malav.* 6. p. 79. t. 46.

Abutilon indicum, fronde pampinea, fructu quinqucapsulari. *Tourn. inst.* 99.

Ketmia indica, vitis folio, flore flavo pendulo? *Tourn. inst.* p. 100. Cum dubio

ad hanc speciem referenda propter iconem *H. batav.* Herm. ubi dicitur:
Althæa indica, folio vitis, flore amplo, flavo, pendente. p. 28.
 Caulis teres, tripedalis, digitum fere crassus, subtomentosus, scaber, mucronibus raris minutis.
 Folia cordata, crenata, ejusdem fere longitudinis ac latitudinis, quinqueangulata, quinquenervia, villosa. Stipulæ breves, setaceæ.
 Flores axillares, solitarii, pedunculis geniculatis, petiolo subæqualibus, deflexo-natantibus.
 Calyx exterior sub 12-phyllus, foliolis angustissimis lineari-setosis: interior duplo major, globosus; laciniis latis, apice acuminatis.
 Corolla campanulato-patens, petalis ab unguibus usque ad dimidiam longitudinem purpureo-rubris, reliqua parte luteis.
 Stamina numerosa, per totam tubi rubescentis superficiem sparsa: antheræ reniformes, rubræ.
 Germen globosum: stylus simplex, apice quinquefidus, ruber: stigmata globosa.
 Fructus hispidus calyce minor: estque capsula globosa, apice cuspidata, alis aut membranis quinque a cuspidate ad basim cincta; quæ in duas dehiscunt fructu maturo; loculamentis quinque tetraspermis. Semina nigra reniformia.
Habitat in India orientali. V. V. in R. H. P. Floret a mense Augusto usque ad Octob.
Exemplaria ex collectis a D. Sonnerat cum dictis conveniunt; flores tamen sunt erecti.

207. *HIBISCUS STRIATUS.* (Tab. LIV. fig. 1.)

H. Caule sulcato: foliis hastatis, glabris, serratis; calyce interiori striato, inflato, inermi.
 Caulis sulcatus, aculeis rigidis, parvis.
 Folia subcordata, hastata, serrata, glabra, pedunculis aculeatis, fere triplo longiora. Stipulæ sublanceolatae, erectæ.
 Flores axillares, solitarii, magni, pedunculis erectis, petiolo brevioribus.
 Calyx exterior sub-8-phyllus, foliolis angustis, lineari-acutis: interior multo major, inflatus, striatus, et quasi pellucidus, laciniis latis apice acutis.
 Corolla lutea bipollicaris.
Habitat. . . . V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu.

208. *HIBISCUS BIFURCATUS.* (Tab. LI. fig. 1.)

H. Caule fruticoso: foliis serratis, inferioribus trilobatis, mediis hastatis, superioribus lanceolatis: calycis exterioris foliolis bifurcatis.
Hibiscus totus scaber, floribus amplis purpurascens. Commers. herb.
 Caulis teres, aculeis parvis, reflexis, ramosus.
 Folia omnia petiolata, serrata, scabra, nervis subtus aculeis parvis: inferiora cordata, triloba; acuminibus productis; floralia longa; media hastata; superiora lanceolata. Stipulæ lanceolatae.
 Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis crassis, erectis, aculeatis.

Calyx exterior ex undecim foliolis linearibus, apice bifurcatis : interior paulo longior, laciniis acuminatis ; uterque scabri.

Corolla magna purpurascens.

Stamina : filamenta plurima per totam tubi superficiem sparsa : antheræ reniformes.

Germen ovatum : stylus simplex : stigmata quinque.

Fructus intra calycem ejusdem cum ipso fere magnitudinis ; qui est capsula ovata, villosa, quinquelocularis, quinquevalvis.

Semina glabra, nigra, subreniformia decem in singulis loculamentis.

Habitat in Brasilia, observatus a Commers. V. S. communicatum a D. Thouin.

209. HIBISCUS TRILOBUS. *Burm.* (Tab. LIII. fig. 2.)

H. Caule arboreo : foliis trilobis serratis : floribus solitariis, pedunculis inermibus.

H. Foliis trilobis serratis, caule aculeato. *Burm. Amer. p. 152. t. 159.*

Ketmia arborescens spinosa, fructu hispido. *Plumier. ms. 4. f. 23.*

K. Arborescens aculeata flore amplissimo coccineo. *Plum.*

K. Arborescens altera spinosissima fructu hispido et ovato. *Plum.*

Narinampuli. *Rheed. Mal. tom. VI. f. 44.*

Caulis arboreus triorgialis ramosus, aculeis rubris et validioribus munitus.

Folia alterna, petiolata petiolis aculeatis, triloba, carnosa, serrato-crenata, lobis acutis. Stipulae. . . .

Flores axillares, solitarii, pedunculis incrassatis, erectis, inermibus.

Calyx exterior ex duodecim fere foliolis angustis, acutis : interior duplo longior, laciniis subrotundis, apice acuminatis.

Corolla magna, dilute coccinea, campanulato-patens, petalis repandis.

Stamina : filamenta plurima per tubi lutei superficiem sparsa.

Germen ovatum ? Stylus simplex : stigmata quinque globosa.

Fructus intra calycem ovatus, membranaceus, ovo columbae aequalis, rubescens, et hispidus : loculis quinque polyspermis. Semina subrotunda e rufo nigricantia.

Habitat circa paludes et stagna Insulae S. Dominici, potissimum circa lacum vulgo Miragoan. H. V. figuratum ac descriptum a P. Carolo Plumier.

Obs. I. *Differat a precedenti pedunculis inermibus, foliolis calycis acutis nec bifurcatis, ac fructu multoties majori.*

II. *Figura Hort. Mal. supra citata ad hanc speciem potius quam ad Hib. Surat. pertinere arbitror : folia enim sunt triloba, nec calyx appendiculatus.*

210. HIBISCUS SINUATUS. (Tab. LII. fig. 2.)

H. Foliis cordatis, dentatis, quinquelobatis ; calycibus deciduis, interioribus latere rumpendis : caule aculeato.

Ketmia Zeylanica, ficifolio, perianthio oblongo integro. *Dill. Elth. 190. t. 157. f. 190.*

Caulis aculeatus, aculeis minimis, albicantibus.

Folia cordata, dentata, subrotundo-quinquelobata (ut in *Urena sinuata*), lobis circa apicem dilatatis medio latiore, longe petiolata, petiolis sensim brevioribus.

ribus. Stipulæ angustæ, lanceolatæ, ciliatæ.

Flores axillares pedunculati, pedunculis petiolo brevioribus.

Calyx exterior ex 5 aut 6 foliolis lanceolatis : interior longior, tubulosus, apice quinquearistatus, latere rumpendus a corolla explicanda : ambo tomentosi decidui.

Corolla alba (in sicco) ex quinque petalis oblongis, calyce duplo longioribus.

Stamina : filamenta plura, per tubum sparsa : antheræ subrotundæ.

Germen ovatum : stylus simplex, apice quinquefidus : stigmata globosa, rubra.

Fructus capsula ovata, tomentosa . . . calycibus orbata.

Habitat in India orientali. V.S. apud D. Lamarck, ex collectis a D. Sonnerat.

Obs Neque loculamenta vidi capsulae, neque seminum numerum. Exemplar enim ad tempus dumtaxat commodatum, deteriorandum esset.

Dillenii planta supra memorata non ad Hib. ficifolium, sed ad hanc speciem reducenda est : consulantur prefatio et observationes 1. et 3. ad genus Hibisci.

211. HIBISCUS FICULNEUS. *Lin.* (Tab. LI. f. 2.)

H. Caule fruticoso verrucoso, ramosissimo : foliis quinquefido-palmatis, superioribus oblongis, ovato-lanceolatis : floribus subspicatis terminalibus.

H. Foliis quinquefido-palmatis, caule aculeato, floribus pedunculatis. *Lin. Sp. Plant. n.º. 13.*

H. Ficulneus. *Commerson. herb. Figur.*

Ketmia arborescens spinosissima, acetosæ sapore. Plum. lib. 4. t. 22.

Caulis fruticosus, cortice viridi vestitus, pollicem crassus, ramosissimus, teres, aculeatus, aculeis verrucis rubris insidentibus sæpe reflexis ; 4-pedalis.

Folia petiolata, dentato-crenata, infima subrotundo-cordata, quorum nonnulla in caule ceteris immixta : superiora ovato-oblonga, reliqua quinquefido-palmata ut in ficu, villosa, costis et petiolis aculeatis, atque in costa principali circa petiolum glandula. Stipulæ subulatæ, marcescentes.

Flores axillares, et in summitate caulis quasi spicati, aphylli, stipulati.

Calyx exterior ex novem fere foliolis lineari-acutis, hispidis, carinatis : interior longior, hispidus, laciniis acutis.

Corolla campanulato-patens, flava ; petalorum unguibus macula saturate purpurea notatis.

Stamina, germen, stylus ac stigmata ut in congeneribus. Antheræ rubescentes.

Fructus intra calycem, ipsoque major, qui est capsula hirsuta, subovata, quinquevalvis, quinquelocularis ; semina glabra.

Habitat passim in India orientali H. Commers. observavit hanc speciem in Insula Franciæ, descripsit, atque delineandam curavit.

Habui florentem a mense Octob. usque ad ultimum Decemb. Colitur in R. H. P.

212. HIBISCUS CANNABINUS. *Lin.* (Tab. LII. f. 1.)

H. Caule herbaceo glabro : foliis superioribus palmatis, quinquepartitis, serratis, uniglandulosis : floribus sessilibus ; calycibus glandulosis.

H. Foliis serratis, superioribus palmatis, quinquepartitis, subtrus uniglandulosis, caule aculeato, floribus sessilibus. *Lin. Sp. Pl. n. 15.*

Ketmia indica, foliis digitatis, flore magno sulfureo, umbone atro purpureo; petiolis spinosis. *Ehret. t. 6. f. 1.*

Alcea Benghalensis spinosissima, acetosæ sapore; flore luteo pallido: umbone purpurascens? *Commel. hort. 1. p. 35. t. 18.*

Ketmia indica, aculeata, foliis digitatis. *d'Isnard herb. Tournef. instit. 101. eadem cum planta Commel. ex Tournef.*

Ketmia indica cannabinis foliis, *Bangue* dicta. *Burm. Zeyl. 134. ind. 152.*

Radix perpendicularis fibrosa.

Caulis 5-7 pedalis glaber, viridis, teres, ramosus, nonnullis aculeis parvis erectis.

Folia longissime petiolata, petiolis patulis, aculeatis, inferiora subcordata, serrata, superiora palmato-quinquepartita, digitationibus lanceolato acutis, serratis; in basi nervi principalis, glandula. Stipulæ subulatæ erectæ.

Flores magni, sessiles, axillares, solitarii.

Calyx exterior 9-phyllus, foliolis subulatis subaculeatis: interior longior, semiquinquefidus, laciniis uniglandulosus, aculeatis.

Corolla dilute flava, tripollicaris, patens; in fundo maculis purpureis.

Stamina: filamenta plurima, rubra: antheræ saturate flavæ, reniformes.

Germen ovatum: stylus simplex: stigmata quinque, globosa, pilosa, rubra, approximata.

Fructus intra calycem: estque capsula ovato-acuminata villosa: loculamentis quinque: semina reniformia, rufescentia, glabra, 3. vel 4. in singulis loculamentis.

Habitat in uraque India. ☉. *Habui florentem a mense Augusto usque ad Octob. Colitur in R. H. P.*

Obs. *Præpostere mea sententia ad hanc speciem refertur a Reichardio apud Lin. Ketmia indica vitis folio ampliore Tournefor. inst. p. 100. quam Tournef. ipse assimilat Alceæ Ægyptiæ Clus. hist. XXVII. plantæ dissimili, mihiq; ignota, atque speciem procul dubio novam constituenti.*

213. *HIBISCUS SURATTENSIS.* *Lin.* (Tab. LIII. f. 1.)

H. Aculeis recurvis, foliis digitatis, calycibus appendiculatis.

H. Recurvato-aculeatus, foliis quinquelobis, calycibus exterioribus appendiculatis, stipulis semicordatis, floribus pedunculatis. *Lin. Sp. Pl. n. 16. Burm. ind. 152.*

Herba crinalium domestica. *Rumph. Amboi. 4. pag. 40. fig. 16.*

Herba crinalium sylvestris *Rumph. Amb. 1. pag. 41?*

Alcea spinosa maderaspatana, saporis acidi, foliis profunde laciniatis, cannabis in modum pentaphyllæ. *Pluk. Alm. 25. t. V. f. 4. fig. imperfecta, ac proinde dubia. Hib. enim Cannabino Surat. et radiato aptari potest.*

Radices longæ multum in hortis spatium occupantes.

Caulis quinquepedalis, se extendens undique longis stipitibus, teres, aculeis parvis reflexis.

Folia inferiora, et nonnulla passim subcordata, ovato-acuta, subtriangularia, superiora palmata, 3-5 lobata, digitationibus lanceolatis, serratis, subtus nervis aculeatis. Stipulæ latæ, subovatæ, semiamplexicaules.

Flores axillares, solitarii, pedunculis nunc brevioribus, nunc petiolo longioribus.

Calyx exterior subdecemphyllus, aculeatus: foliolis ad mediam usque longitudinem linearibus, ibique inflexis, at terminatis tandem parte lanceolata, quæ initio primæ adpressa, postea erigitur: ad inflexum, appendiculum existit quod folium refert exiguum lato-acutum: calyx interior semiquinquepartitus, laciniis acutis, costa dorsali, atque limbis aculeatis.

Corolla magna, patens, flavescens, in fundo purpureo-rubens; ante meridiem semel expansa.

Stamina: filamenta numerosa, per totam tubi superficiem sparsa: anthera luteæ.

Germen globosum: stylus simplex: stigmata globosa.

Fructus intra calyces, estque capsula villosa, globoso-acuminata: semina in singulis loculamentis quinque nigricantia, glabra, reniformia.

Habitat in India orientali. ℥. V. S. communicatum a D. de Lamarck ex collectis sonneratianis.

Obs. *Herba crinalium sylvestris Rumph. sive in hortis excolatur, sive in sylvis crescat, numquam est caule erecto, sed aut humifuso aut volubili si sustentacula reperiat: petioli sunt ipsi in extremitate incurvi. An eadem ac demestica? Dicent qui utrasque vivas videre atque attente comparare poterint.*

214. HIBISCUS RADIATUS. (Tab. LIV. fig. 2.)

H. Caule frutescente, viridi, aculeato: foliis palmatis, digitationibus lanceolatis dentatis: floribus breviter pedunculatis.

Radices numerosæ, ramosæ, teretes, albicantes.

Caulis teres, cortice viridi tectus, ramosus, aculeis parvis undique armatus, 4-pedalis.

Folia alterna longissime petiolata; petiolis aculeatis; infima, at pauca numero, ovato-acuminata, dentibus inæqualibus; reliqua palmato-quinquefida, digitationibus profundis, inæqualibus, lanceolatis, argute serratis, glabra, virid-nigricantia. Stipulæ lanceolatæ, erectæ.

Flores axillares, solitarii, breviter pedunculati.

Calyx exterior decemphyllus, foliolis longis linearibus, apice mucronato compresso in stellam patentibus: interior longior, pyramidatus, decemsulcatus, laciniis acutis; ambo persistentes, atque aculeati.

Corolla lutea.

Germen globoso-acuminatum, tomentosum.

Fructus capsula ovato-acuminata: loculis quinque polyspermis. Semina reniformia.

Plantam habui ex seminibus communicatis a D. Banks, quæ ante perfectam florum expansionem periit. Hac ergo de causa reliqua desiderantur.

Obs. *Facies huius plantæ est fere eadem ac Hib. surattens. a quo differt floribus subsessilibus, ac calyce exteriori non appendiculato. Distinguitur etiam ab Hibisco cannabinò in eo quòd fruticosa est; cannabinus vero annuus: caret etiam glan-*

dulis quinque, quæ reperiuntur in mediis laciniis cannabinis: verbo utrasque colui ac toto cælo distantes vidi.

215. HIBISCUS DIGITATUS. (Tab. LXX. f. 2.)

H. Foliis digitatis; laciniis quinque inæqualibus, lanceolatis, serratis; calycibus monophyllis inermibus; floribus solitariis, subsessilibus.

Folia longe petiolata, petiolis aculeorum rudimentis exasperatis; palmato-digittata, laciniis quinque inæqualibus, lanceolatis, serratis; glabra, nervis quinque subtus protuberantibus, atque ad basim principalis, glandula. Stipulæ setaceæ, breves.

Flores axillares, solitarii, subsessiles.

Calyx exterior monophyllus, profunde partitus in septem lacinias latas, apice acutas: interioris laciniæ acuminatæ: ambo ciliati, inermes.

Corolla cum genitalibus deest in exempl.

Fructus capsula globoso-acuminata, villosa, ejusdem fere magnitudinis cum calyce interiore, quinquelocularis, quinquevalvis, loculis polyspermis. Semina glabra, reniformia.

Habitat in Brasilia ubique cultus, et sylvestris circa Rio-Janeiro. Fructificat mense Julio. Observat. a D. Commerson. V. S. unicum exemplar, foliis ac fructu calyculato constans, apud D. de Jussieu.

Obs. Abunde distinguitur ab omnibus speciebus: calyce nempe exteriori ab aculeatis; foliis vero a reliquis.

B. Caulis inermis; calyce exteriori monophyllo althæiformi.

216. HIBISCUS TILIACEUS. Lin. (Tab. LV. fig. 1.)

H. Caule arboræo: foliis cordatis, subrotundis, indivisis, acuminatis, crenatis; calyce exteriori decemdentato. Lin. Sp. Pl. n. 4.

Malva arborea maritima folio subrotundo minore acuminato, subtus candido, cortice in funes ductili. Sloan. Jam. 93. hist. 1. p. 215. t. 134. f. 4.

Alcea indica Sinarum flore luteo malvaceo. Pluk. Amalth. 6. t. 335. f. 5.

Althæa maritima arborescens diffusa, foliis orbiculato-cordatis, crenatis, subtus cinereis. Brown. Inn. 284.

Ketmia amplissimo folio cordiformi, flore vario. Plumier Cat. 3. mss. 4. t. 28.

Ketmia populifolio, flore luteo. Plum. mss. 4. f. 20.

Novella. Rumph. 2. p. 218. tab. 73.

Pariti, vel Tali pariti. Rheed. Malab. 1. p. 53. t. 30.

Hibiscus novella, foliis cordatis, subrotundis, indivisis, acuminatis, caule arboræo, calycum exteriori decemcrenato. Comm. herb. Madagasc. fig.

Ketmia indica Tiliæ folio. Tournef. inst. 100.

Caulis arboreus, mali altitudinis; cortice cinereo, succoso, vestitus, qui a ligno facillime separatur.

Folia longe petiolata, cordata, subrotundo-acuminata; juniora tenuissime serrata, vetustiora oblitterate crenulata, superne glabra, subtus cinerea, tomentosa, nervis 5-9 protuberantibus. Stipulæ amplexicaules, ovata, magnæ, deciduæ.

- Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis petiolo subæqualibus.
 Calyx exterior monophyllus decemdentatus: interior multo longior, laciniis lanceolatis, acutis.
 Corolla flavescens, in centro fusca, campanulata, petalis magnis inferius firmis, supra rugosis; (primo die flores dixit aureos Plumierius, dehin purpurascens.)
 Stamina: filamenta plurima, per integram tubi superficiem sparsa: antheræ reniformes.
 Germen ovatum: stylus apice quinquefidus: stigmata fusca, globosa.
 Fructus intra calycem subovatus; qui est capsula fusca, loculamentis quinque, decaspermis. Semina reniformia, fusca.
Habitat passim in India orientali, et in America calidiore. H. V. S. communicatum a D. Thouin.
 Obs. I. *Exemplaria Americana apud D. de Jussieu folia habent integerrima; India vero orientalis, præsertim Philippina, crenulata et quandoque serrata.*
 II. *Ex huius arboris cortice parantur funes, quibus australium insularum incola utuntur in navigiis.*
 III. *Tenera ac juniora folia, in aqua contrita, optimum præbent capitis levamen in ejus ardore ac inflammatione. Radix quoque, alioquin insipida, si recenter effossa cum aqua conteratur, quamoptime refrigerat feбри laborantes. Rumph. loco citato.*

217. HIBISCUS TRICUSPIS. Banks. (Tab. LV. fig. 2.)

- H. Caule arboreo, foliis trilobis, lobis acutis productis; floribus racemosis; stipulis magnis, acutis.
 H. *Tricuspis. Banks herb.*
 H. (Hastatus) incanus, foliis oblongis simplicibus, basi trilobis integerrimis, racemo terminali. *Lin. supp. p. 310.*
 Caulis arboreus, ramis tomentosis.
 Folia longe petiolata, petiolis tomentosis, triloba, lobis acutis, productis, subcrenatis; superiora indivisa, ovato-lanceolata, angusta, longa. Stipulae magnæ, basi latiores, apice acuminatæ, tomentosæ, deciduæ.
 Flores axillares solitarii; terminales subracemosi, pedunculis erectis, apice incrassatis.
 Calyces ut in præcedenti: exterior novemdentatus.
 Corolla magna, campanulato-patens, petalis latis, crenulatis.
 Reliqua ut in præcedenti: at capsula est ovato-obtrusa, villosa, inferiore parte styli remanente. Semina reniformia, nigricantia, sex circiter in unoquoque loculamento.
Habitat in Tahiti. H. Observatus a D. Banks, qui exemplar mihi communicavit.

c. *Caulis inermis. Calyx exterior polyphyllus, interior hemisphæricus.*

218. HIBISCUS POPULNEUS. Lin. (Tab. LVI. fig. 1.)

H. Caule arboreo; foliis cordatis, acuminatis, integerrimis; calyce exteriori triphylo deciduo.

H. Foliis cordatis integerrimis, caule arboreo, calycum exteriori truncato. *Lin. sp. pl. n^o. 3.*

Bupariti. *Commers. herb. et ms. codice 4. pag. 92. Fig. elegans apud D. de Jussieu.*

Novella littorea. *Rumph. Amb. 2. p. 224. t. 74.*

Bupariti. *Rheed. Mal. 1. p. 51. t. 29.*

Ketmia indica populi folio. *Tournef. inst. 100.*

Alcea Malavariensis abutili folio, flore majore ex albo flavescente. *Rai hist. 1069.*

Caulis arboreus, crassus, cortice molli indutus.

Folia alterna, petiolata, petiolo foliis brevioribus, cordata, subrotundo-acuminata, integerrima, glabra, superne nitida, septemnervia. Stipulae lanceolatae, acutae.

Flores axillares, solitarii, pedunculis erectis, trisulcatis, petiolo dimidio brevioribus.

Calyx exterior ex tribus foliolis lineari-acutis, cito deciduis ante floris plerumque explicationem: interior paulo minor, hemisphaericus, coriaceus, obsolete quinque-dentatus.

Corolla certe monopetala (dixit Commersonius), ad basim proxime quinque-partita, laciniis (petalis potius?) irregularibus, hinc falcatis dejectis, apice obtusissimo integerrimo: in centro sanguinea, reliqua parte flavescens.

Stamina: filamenta numerosissima per integram tubi superficiem sparsa: antherae flavae, sulcatae, reniformicompressae.

Germen subglobosum: stylus simplex, crassus, contortus, indivisus, apice profunde quinque sulcatus: stigmata quinque quasi laciniarum breves, juxta D. Banks. (*Commersonius dixit stigma simplex acuminatum.*)

Fructus capsula orbiculata, compressa, calyce deorsum cincta; cortice tecta glabro, lignoso, durissimo, nigricante; quae tamen, licet sponte sua clausa maneat, juxta quinque suturas findi facile et aperiri potest: estque quinquelocularis, loculis polyspermis. Semina dura, gilva, subovato-triquetra.

Habitat in littoribus praesertim saxosis Indiae orientalis; in Insulis Mauritianis et Tahiti. Floret mense Aprili. H. V. S. communicat. a D. Thouin.

Obs. I. Mirandum non est si Linnaeus, verum calycem exteriori non offendens in exemplaribus, interiori pro illo assumeret. Verumtamen ubinam tunc temporis calycem interiori repperit, difficile est creditum, nisi corollam nondum expansam, quae in hoc statu coriacea et sulcata apparet, pro calyce interiori perperam assumeret.

II. Calyx exterior, qui occultari nequit plantam vivam examinanti, utpote qui et mihi obvius fuit etiam in capitulis exsiccatis, observatus fuit mense Aprili anni 1769 in Tahiti a D. Jos. Banks, quum hujus arboris ramum in signum pacis attulissent incolae celeberrimo Cook; atque eodem mense et anno a Commersonio in Insula Mauritianis.

III. Hujus ligni cor fuscum supra porphyritim contritum cum aqua, et propinatum, mirifice prodest pleuritide laborantibus. *Rumph. loco citato.*

219. HIBISCUS LILIFLORUS. (Tab. LVII. fig. 1.)

- H. Caule arboreo : foliis lanceolato-ovatis, oblongis, trinerviis; nonnullis tripartitis : corolla liliacea magna speciosa : tubo longissimo.
- Cremontia columnifera foliis trinerviis basi cuneiformibus, apice acuminato-rotundatis, aliis integris, aliis tripartitis. *Commers. herb. atque codice 2, paginis 207-208-209. cum duabus figuris accuratissimis apud D. de Juss.*
- Arbor mediocris, trunco femur humanum plerumque crasso, variis fissuris variegato, cujus rami erecti cortice subcinereo tecti.
- Folia sparsa, virentia, petiolis duplo longiora, lanceolato-ovata, oblonga, integra, nonnulla tripartita. Stipulae nullae in siccis exemplaribus et iconibus *Commers.*
- Flores axillares et terminales, pedunculati, pedunculis petiolo longioribus, et utraque extremitate incrassatis.
- Calyx exterior ex quinque foliolis subulatis, basi carnosio-subcylindricis : interior paulo major, coriaceus, hemisphaericus, aut si mavis cupulaformis, quinque-dentatus.
- Corolla phaenicea, magna, campanulato-revoluta, liliorum instar : ex quinque petalis in tubum approximatis, postea patulis reflexis : in quorum fundo foveae quinque mellifluae.
- Tubus staminifer luteus, flore duplo longior, tripollicaris, ad dimidiam usque altitudinem nudus; hinc ad superiora filamentis plurimis setaceis hirsutus : antherae subrotundae, luteae.
- Germen subrotundum : stylus simplex tubo longior, apice quinquepartitus : stigmata capitata.
- Fructus calyce major, estque capsula ovata, cortice duro, carnosio, pubescenti-necta, quinquelocularis, quinquevalvis. Semina in singulis loculamentis fere septem, subvillosa.
- Habitat in Insula Bourbon prope montes et sylvas, ubi primus eam reperit, descripsit atque delineandam curavit D. Commerson, qui novum genus CREMONTIAE nomine ex hac arbore efformavit, quamque ego HIBISCIS adnumero. Floret mense Augusto. H. Vernacule FLEUR DE S. LOUIS. V. S. communicatam a D. de Jussieu.*

220. HIBISCUS LAMPAS. (Tab. LVI. fig. 2.)

- H. Foliis subcordatis, latis, acuminatis, trilobis, desuper punctatis : calycum exteriori minimo setaceo; interiori laciniis angustissimis longissimis terminato.
- Caulem arboreum suspicor ex fragmentis quae vidi, cujus cortex fuscus, glaber.
- Folia alterna, petiolata, petiolis triplo longiora, subcordata, lata, acuminata; plura tricuspidata, nonnulla altero latere integra, oblitterate crenata, subtus ferrugineo-tomentosa, desuper punctata; quae puncta sunt fasciculi stellati minimi pilorum. Stipulae. . .
- Flores in summitate ramorum axillares, solitarii.
- Calyx exterior ex quinque aut pluribus setis brevibus : interior coriaceus, hemisphaericus, quinque laciniis longis sensim angustioribus terminatus.

Corolla magna lutescens; ex petalis quinque basi crassis, sensim latioribus, venosis.

Stamina: filamenta numerosa tubum brevem tegentia: antheræ reniformes.

Germen ovatum? Stylus simplex, tubo longior, sensimque incrassatus. Stigma clavatum, quinqsulcatum.

Fructus capsula ovato-pentagona, acuminata.

Habitat in Philippinis. H. V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu ex collectis a D. Sonnerat.

Obs. *In dicto exemplari fructum unicum reperi, dicam potius rudimentum, quod vix pisi magnitudinem adæquabat. Quare nihil de vera ejusdem natura, seminum situ, numero atque figura affirmare possum. Expectandum itaque quoad usque id clarius innotescat; quod certissime efficiet D. Joannes Cællar Hispanus, qui a mense Decembri anni 1785 Philippinas Insulas investigaturus est profectus.*

An fortasse Cienfuegosia species?

D. Caulis inermis: calyx exterior polyphyllus, aut multifidus: interior semiquinquepartitus, aut tubulato-dentatus, foliis integris aut parum lobatis.

221. HIBISCUS MICRANTHUS. *Lin. sup.* (Tab. LXVI. fig. 1.)

H. Foliis subrotundis, serratis; corollis reflexis, obliquis. *Lin. sup. p. 308.*

Ex eadem radice cylindracea plures caules prodeunt bipedales, scabriusculi.

Folia alterna, subrotunda, argute serrata, subtus pilosa. Stipulæ subulatæ.

Flores solitarii, axillares, longe pedunculati, parvi.

Calyx exterior minimus ex septem fere foliolis setaceis: interior major profunde quinquepartitus, laciniis acutis.

Corolla flavescens (in sicco) petalis parvis, reflexis.

Stamina: filamenta plurima quasi verticillatim per tubi superficiem disposita: antheræ reniformes.

Germen globosum: stylus simplex apice quinquefidus, laciniis oblongis: stigmata globosa.

Fructus calyce major, estque capsula subovata. Semina parva, nigra, lanugine rufescente longa obvoluta.

Habitat in India orientali. C. V. S. communicatum a D. de Lamarck ex collectis sonneratianis.

222. HIBISCUS ÆTHIOPICUS. *Lin.* (Tab. LXI. fig. 1.)

H. Caule fruticoso minimo: foliis ovato-retusis, apice dentatis; floribus axillaribus et terminalibus.

H. Foliis subcuneatis, subtridentatis, summis oppositis, floribus terminalibus.

Lin. sp. pl. n.º. 25.

Alcea Vesicariæ similis Æthiopica moschum redolens, summo tantum folio circa margines crenato. *Pluk. Alm. 13. t. 254, f. 2.*

Caulis fruticosus, ramis aliquot, vix spithameus.

Folia alterna et nonnulla subopposita, superiora præsertim, infra ovata, supra

retusa, 3-5 crenata, parva, breviter petiolata, subtus pilis raris hispida. Stipulae breves, acerosae.

Flores solitarii, axillares et terminales, pedunculis folio saepius longioribus.

Calyx exterior ex 8-9 foliolis lineari-lanceolatis; interioris laciniae lato-acutae; ambo ciliati, pilosi.

Corolla calyce longior, saturate sulphurea (in sicco.)

Stamina in superficie tubi, corolla brevioris: antherae reniformes.

Stylus simplex, apice quinquepartitus: stigmata globosa, villosa.

Fructus intra calycem, estque capsula globoso-acuminata, loculis monospermis, saepe etiam di-trispermis.

Habitat ad Cap. B. Spei. H. V. S. communicatum a DD. Banks et Thumberg.

223. *HIBISCUS RHOMBIFOLIUS.* (Tab. LXIX. fig. 3.)

H. Caule fruticoso glabri: foliis rhomboideis, lateribus superioribus crenatis.

Caulis fruticosus, glaber, ut et tota planta.

Folia alterna petiolata, petiolis duplo longiora, trinervia, lateribus superioribus crenato-dentatis. Stipulae. . .

Flores solitarii, axillares, pedunculis brevibus.

Calyx exterior ex septem foliolis oblongis, lineari-acutis; interior paulo longior.

Corolla albicans? calyce triplo longior.

Stamina per totam tubi superficiem sparsa.

Reiqua desiderantur.

Habitat in India orientali. V. S. unicum exemplar apud D. de Lamarck ex collectis sonneratianis.

224. *HIBISCUS RIGIDUS.* *Lin. sup.*

H. Suffruticosus hirsutus, ramis simplicibus; foliis oblongis, serratis; limbo corollae reflexo, seminibus lanatis.

Ramuli longi, filiformes, simplicissimi, rigidi.

Folia oblonga, serrata, petiolata, parva. Stipulae erectae, setaceae, rigidae.

Pedunculi axillares uniflori; limbus corollae eximie reflexus.

Semina lana involuta.

Habitat in graminosis Zeylonae. Konig. H. Apud Lin. sup. pag. 310. Plantam nullibi vidi.

225. *HIBISCUS HIRTUS.* *Lin.* (Tab. LXVII. fig. 3.)

H. Caule herbaceo scabro: foliis ovato-lanceolatis, acuminatis, serratis; calycum exteriori longiore, polyphyllo: floribus solitariis rubris.

H. Foliis lanceolato-ovatis, acuminatis, serratis, caule herbaceo, ramis scabris.

Lin. sp. pl. n. 8.

Ketmia. Commers. herb. Figur.

Alcea fruticosa Malabariensis angustis foliis rigidiusculis, floribus aemene rubellis, semine paposo? *Pluk. Alm. 4. t. 254. f. 3.*

An melius — Althaea Jamaicensis arborea, foliolis oblongis mucronatis glabris, floribus aemene rubellis? *Pluk. Alm. 24. t. 259. f. 3.*

Caulis scabriusculus, ramosus.

Folia oblonga, ovato-lanceolata, serrulata, subtus scabra, petiolis vix duarum linearum insidentia. Stipulæ erectæ, setacæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis folio longioribus.

Calyx exterior ex novem foliolis lineari-acutis; interior brevior, laciniis ovato-acutissimis.

Corolla rubra, patens, petalis subrotundis.

Stamina: filamenta plurima, longiuscula, per integram tubi phœnicei superficiem sparsa; antheræ reniformes.

Germen globosum. Stylus simplex, laciniis quinque capillaribus oblongis terminatus: stigmata globosa.

Capsula subrotunda: semina lanata: dixit Linnæus, quæ deficiunt in meo exemplari.

Habitat in India. V. S. apud D. de Jussieu.

226. HIBISCUS PHŒNICEUS. (Tab. LXVII. fig. 2.)

H. Caule fruticoso hirsuto: foliis serratis acuminatis, sæpe subtrilobatis: floribus rubris, seminibus lanatis.

H. Foliis ovatis acuminatis serratis, pedunculis articulatis, supra articulos incrassatis, lobis longioribus, calycibus nudis, semine lanato. *Linn. sup. pag. 310.*

H. Phœniceus. *Iacq. Hort. vol. 3. p. 11. t. 14. figura pulchra.*

Caulis fruticosus, ramosus, pilis hirsutus.

Folia basi ovata, apice acuta, dentato-serrata, serraturis inæqualibus, pilosis, modo integra, modo inæqualiter versus inferiora magis minusve triloba, petiolis brevibus insidentia. Stipulæ subulata, ciliata.

Flores axillares, solitarii, aliquando gemini, pedunculati, pedunculis hirtis, erectis, prope florem incrassatis, sesquipollicaribus.

Calyx exterior ex 6-9 foliolis anguste lanceolatis, pilosis: interior paulo major, profunde quinquefidus, laciniis acutis.

Corolla rubens, patens, petalis subrotundis.

Stamina: filamenta plurima per tubi superficiem sparsa: antheræ subrotundæ.

An tubus declinatus? Siccam vidi plantam: in Jacquini figura et descriptione certe declinatus; quemadmodum videtur in mea tab. LXVII. littera f.

Germen ovatum: stylus simplex, cujus lacinia rubra: stigmata capitata.

Fructus: capsula subglobosa: semina in unoquoque loculamento 3-4 reniformia, lanata.

Habitat passim in India orientali. H. V. S. communicatum a DD. de Jussieu et Thouin ex collectis a Commersonio et Sonneratio.

Obs. Planta supra descripta diversa omnino est a præcedenti, quamquam Linn. fil. ambas conjunxerit: Hibiscus enim phœniceus D. Jacq. non nisi glabritie differt a nostro, quod fortasse culturæ tribuendum.

Specimina vidi apud D. de Jussieu, quæ utrum ad H. phœnic. tamquam varietatem referam, dubius hæreo: facies enim, atque inflorescentia est fere eadem; at corolla alba, sicque observata anno 1764 in R. H. P. atque in herbariis legitur: *Ketmia zeylanica* foliis cordato-hastatis, flore albo, seminibus hirsutis.

Folia vero nulla video cordata, sed latiora dumtaxat quam in supra descripta planta.

227. HIBISCUS UNILATERALIS. (Tab. LXVII. litteris Fe.)

H. Caule fruticoso: foliis ovato-acutis mollibus: tubo staminifero altera parte longitudinaliter nudo.

Ketmia coccinea folio ulmi. *Plum. mss. 4. tab. 28.*

Ketmia frutescens mori folio, flore purpureo. *Plum. apud Burm. icon. 160. f. 1.*

Caulis fruticosus diffusus ramosus.

Folia ovato-acuminata, dentato-serrata, mollia, e viridi albicantia, sesquipollicaria. Stipulae. . . .

Flores axillares, solitarii, pedunculis longiusculis, tenuibus, erectis.

Calyx exterior ex novem foliolis lineari-acutis: interior ejusdem fere longitudinis, laciniis acutis.

Corolla coccinea, pollicaris, petalis obtusis.

Stamina: filamenta candida ad unam dumtaxat partem tubi candidi: anthera aurea.

Germen rotundum? Stigmata quinque.

Fructus: capsula membranacea, fusca, rotunda, nucis avellanæ magnitudine, quinquestriata, quinquevalvis, quinquelocularis. Semina reniformia.

Habitat in strigosis aridisque sylvis Insulae S. Dominici. H.

Obs. *Plantam nullibi vidi, descriptionem ac floris figuram desumsi ex Plumierio loco citato.*

228. HIBISCUS ROSA SINENSIS. *Lin.* (Tab. LXIX. f. 2.)

H. Caule arboreo, foliis ovatis, acuminatis, serratis, glabris. *Lin. Sp. pl. n. 6.*

Flos festalis. *Rumph. Amb. t. 4. lib. 6. pag. 24. t. 8.*

Scheru-pariti. *Rheed. Malav. 2. p. 25. t. 16.*

H. Rosa Sinensis. *Comm. herb. fig.*

Alcea Iavanica arborescens, flore pleno rubicundo. *Breyn. Cent. 121. t. 56.*

Ketmia Sinensis, fructu subrotundo, flore pleno. *Tournefort. inst. 100.*

Caulis arboreus in India Coryli altitudinem attingens, hic in hortis 4-5 pedalis ramosus, totus glaber.

Folia alterna, ovato-acuminata, serrata, glaberrima, petiolis triplo et amplius longiora. Stipulae lineares, erectae.

Flores solitarii, axillares, pedunculis erecto-deflexis, supra incrassatis, petiolo longioribus.

Calyx exterior ex sex foliolis lineari-acuminatis, basi crassa inhaerentibus: interior multo major, laciniis acutis.

Corolla incarnato-rubens, tripollicaris, petalis latioribus, in fundo maculatis.

Stamina: filamenta plurima albicantia (quae etiam videntur in flore pleno), per tubi longi rubri superficiem sparsa. Antherae reniformes rubrae.

Germen subrotundum: stylus simplex: stigmata quinque exerta, atro-purpurea.

Fructus globosus (juxta Tournefort.) numquam a me visus.

Habitat in India orientali. H. Habui florentem semperque flore pleno.

Obs. *Rumphius loquitur de alio frutice flore albo, simplici et pleno, nominatque*
 BONGA RAJA ALBA.

Radices et folia sunt mucilaginoso, emollientia, et refrigerantia. Florum capitula
efficaciora censentur ad menstrua pellenda. Rumph. loco citato.

229. HIBISCUS MEMBRANACEUS. (Tab. LVII. f. 2.)

H. Foliis cordatis, oblongo-acuminatis; obsolete denticulatis, calycum interno
 tubuloso magno: membranis quinque instructo.

Caulis arboreus? ramis subtomentosis.

Folia alterna, petiolis longiora, cordata, ovato-oblonga, acuminata (ad H. po-
 puln. accedentia), subhastata, limbis nonnihil crispis crenulatis, subtomen-
 tosa. Stipulae parvae, lineari-acuminatae.

Flores solitarii, axillares, in summitate ramulorum pedunculati, pedunculis
 erectis, geniculatis, petiolo longioribus.

Calyx exterior ex decem foliolis lanceolatis inaequalibus, basi connatis, calyce
 interiore quadruplo et amplius brevioribus: interior magnus, scaber, tubu-
 loso-campanulatus, supra quinquepartitus, laciniis subrotundo-acuminatis
 trinerviis, a quorum divisione deorsum versus membranæ prominent quin-
 que compressæ.

Corolla calyce major subcoriacea, extus villosa, flavescens, intus saturatior;
 petalis integerrimis, patulis, subrotundo-acuminatis.

Stamina numerosa per totam tubi superficiem sparsa: antheræ reniformes.

Germen. . . . Stylus apice quinquefidus: stigmata globosa purpurea.

Fructus capsula ovata, villosa, quinquelocularis, loculis polyspermis.

Habitat. . . . V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu.

Obs. *Fructum vidi, qui necdum debitam magnitudinem attigerat in quo tamen*
loculos vidi polyspermos.

230. HIBISCUS CORDIFOLIUS. *Lin. sup.*

H. Arboreus, tomentosus: foliis cordatis, ovatis, serratis; floribus peduncu-
 latis terminalibus; calyce polyphylo, lineari, longo. *Lin. sup. p. 309.*

Figura foliorum ut in *Hibisco populneo* absque ullis angulis.

Calyx ut in *H. malvavisco*, sed multo longior et magis polyphyllus.

Flores inter mediocres.

Habitat in America meridionali. Mutis. H. Ex Linneo.

231. HIBISCUS LASIOCARPOS (a). (Tab. LXX. f. 1.)

H. Foliis ovato-lanceolatis magnis, crenato-serratis, tomentosus, subtus canis:
 capsula ovato-acuminata, setosa.

Caulis, si ex fructus ac foliorum magnitudine judicandus, fruticosus aut ar-
 boreus.

Folia longe petiolata, distantia, ovato-lanceolata, acumine acutissimo, crenata,

(a) Fructu setoso, a *Lasios* setosus, et *Karpus* fructus.

apice setrata, tomentosa, subtus albicantia, quinquenervia, longitudine quatuor fere pollicum, duorum lata. Stipulae. . . .
Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis erectis, crassis, vix pollicaribus.

Calyx exterior polyphyllus ex 13; fere foliolis lineari-acutis, longis, ciliatis: interior longior, semiquinquefidus, laciniis lanceolatis, trinerviis.

Corolla cum genitalibus deest in exemplari unico.

Fructus capsula ovata, acumine terminata, coriacea, setis rufescentibus tecta, quinquelocularis, quinquevalvis, loculis polyspermis. Semina globoso-acuminata, fusco-rubra, glabra, sub 14. in unoquoque loculamento duobus ordinibus disposita.

Habitat V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu.

Obs. Affinis videtur hæc planta præcedenti; a qua diversam reputo.

232. *HIBISCUS SORORIUS. Lin. sup.*

H. Calycibus exterioribus teretibus, apice dilatatis; foliis cordatis, crenatis, scabris. *Lin. sup. p. 311.*

Caulis herbaceus, vel fruticosus, teres, totus pilosus, suffultus arboribus.

Folia alterna, petiolata, cordata, absque angulis, crenata, scabra, remota. Stipulae subulatae, minutae.

Pedunculi axillares longitudine foliorum, solitarii, pubescentes, uniflori.

Calyx hirsutus: exterior radiis decem teretiusculis, patentibus, distantibus; calyce interiore brevioribus, apice dilatatis in folium cordatum, obtusum, cucullatum. Interior campanulatus, major, angulatus, quinquefidus, laciniis ovatis.

Corolla, stamina, pistilla, ut in *H. manhiot.*

Capsula glabra, pilosa, calyce brevior. Semina glabra.

Habitat in Surinamo. C. G. Dalberg. Ex. Lin. sup. deprom.

233. *HIBISCUS SENEGALENSIS. (Tab. LXVIII. f. 1.)*

H. Foliis cordatis, subangulatis, tomentosis: calycum interiore brevior, exteriore cancellato.

Tota planta valde tomentosa.

Caulis teres; ramosus.

Folia alterna, longe petiolata, cordata, rotundata, subangulata, crenato-dentata, nervis quinque præcipuis prominentibus. Stipulae subulatae, erectae, tomentosae, utrimque binæ, aut plures.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis erectis, petiolo brevioribus, ad cuius latus ramulus.

Calyx exterior ex decem foliolis lineari-acutis, arcuato-erectis calycem interiore cancellantibus: qui est paulo brevior, laciniis lanceolatis, trisulcatis intus glabris.

Corolla calyce paulo major, flavescens.

Stamina numerosa, brevia: antherae reniformes; tubus corolla brevior.

Germen globosum : stylus simplex : stigmata rubra, clavata.

Fructus rudimentum, ovatum.

Habitat in Senegal, observ. a D. Adanson. V. S. apud D. de Jussieu.

234. HIBISCUS TUBULOSUS. (Tab. LXVIII. fig. 2.)

H. Caule frutescente hirsuto : foliis cordatis, angulatis, crassis, tomentosis : floribus solitariis : calycis exterioris apicibus spatulatis, recurvis.

Ketmia flore sulphureo, fundo purpureo, abutili folio. H. R. P. anni 1764. in quo floruit mense Septembri; fructificavit Octob. in herb. D. de Jussieu.

Hib. panduriformis, foliis cordato-lanceolatis, denticulatis, tomentosis, caule hirto. *Burm. Flora indica. p. 151, t. 47, f. 2?*

Caulis teres, hispido-tomentosus (ut et tota planta), erectus, ramosus, 4-5 pedalis.

Folia alterna, cordata, crassa, tomentosa, angulata, acuminata, inæqualiter dentata; superiora subhastata. Stipulae subulatae, utrimque tres, villosae, arcuato-erectae.

Flores solitarii, axillares, pedunculis vix pollicaribus, geniculatis.

Calyx exterior subnovemphyllus : foliolis basi coalitis, linearibus, apice spatulato-acutis, recurvis : interior tubulosus paulo major, semiquinquefidus, ambo villosissimi, atque rubescentes quum fructum continent.

Corolla flava, fundo rubro, ex quinque petalis in tubum approximatis, apice patentibus, saepe integris, saepe lacinia aliqua notatis : quae exsiccatione rubescunt.

Stamina : filamenta parva (sæpe 16) per tubi albi superficiem sparsa : antherae saturate flavae, reniformes.

Germen subovatum, tomentosum : stylus simplex, apice quinquefido-stellatus : stigmata globosa, saturate violacea, villosa.

Fructus intra calycem pilis numerosis adpressis tectus : capsula ovata. Semina reniformia, tomentosa, rufescentia, decem in unoquoque loculamento.

Habitat in India orientali, et in Senegal. H. Habui florentem a mense Julio usque ad finem Octob. Col. in R. H. P.

235. HIBISCUS URENS. *Lin. sup.* (Tab. LXVII. fig. 1.)

H. Tomentosus foliis reniformibus crenatis; calycibus lanatis (corolla longioribus addo Cav.) *Lin. sup. p. 309.*

Herba tomentosa, leviter urens, magnitudine ac facie Althææ roseæ.

Caulis herbaceus.

Folia reniformia, rotundata, vix lobata, inæqualiter crenata, subtus magis tomentosa, pallidiora, palmaria, petiolis sæpe breviora. Stipulae....

Flores axillares, sessiles, bini, ternive, glomerati.

Calyces tomentoso-lanati, albicantes : exterior monophyllus, profunde partitus quamproxime in duodecim lacinias lanceolatas : interior duplo longior, sesquipollicaris, semiquinquepartitus.

Corolla calyce paulo brevior, purpurea, extus villosa, intus glabra, venisque saturatoribus notata : petala quinque oblonga, angusta.

Stamina : filamenta plurima , brevia , versus superiorem tubi partem : anthera parva , reniformes , lutea.
 Germen ovatum : stylus simplex , apice capiratus : hocque capitulum ex quinque globulis , qui sunt stigmata.
 Fructus capsula parva , subgloboso-acuminata , tomentosa . Semina ovata , glaberrima , rubescentia , quinque in singulis loculamentis.
Habitat ad Caput Bonae Spei. V. S. (quod ad calyces, genitalia ac fructum spectat) communicat. a D. Banks.

236. HIBISCUS FERRUGINEUS. (Tab. LX. fig. 1.)

H. Caule tomentoso-ferrugineo ; foliis cordatis , oblongis , obtusis , versus basim latioribus , scabris , flavescentibus ; floribus solitariis.
 Caulis teres , ramosus , tomento brevi ferrugineo tectus , quemadmodum et tota planta.
 Folia petiolata , petiolis subæqualia , cordata ; inferiora præsertim oblonga , crenato-dentata , scabra , flavescentia , apice obtusa , basi latiora , medio utrimque sinu angustata . Stipulae subulatae , erectae.
 Flores axillares , solitarii , pedunculati , pedunculis erectis , petiolo longioribus . Calyx exterior decemphyllus , foliolis lanceolatis acutis : interior longior laciniis acutis.
 Corolla rubescens calyce duplo et amplius longior , petalis subrotundis.
 Stamina : filamenta plura , longa , inferiori tubi parti ut plurimum inserta : anthera subrotunda.
 Germen . . . Stylus simplex a media sui longitudine partitus in filamenta capillaria longitudine corollae . Stigmata globosa , rubra.
 Fructus, *deerat.*
Habitat in Madagascar, observ. a Commers. V. S. communicatum a D. Thouin.
E. Caulis inermis : calycibus ut supra in D. Foliis lobatis, aut angulatis.

237. HIBISCUS PALUSTRIS. *Lin.* (Tab. LXV. fig. 2.)

H. Caule herbaceo simplicissimo ; foliis ovatis , subtrilobis , subtus tomentosis ; floribus axillaribus. *Lin. sp. plant. 2.*
Althæa palustris. Bauh. pinax. 336.
Althæa hortensis vel peregrina. Dod. pemp. 655.
Ketmia palustris, flore purpureo. Tournef. inst. 100.
 Althæa magna , quinquecapsularis , foliis superioribus in laciniis ternas leviter incisus et aversa parte albicantibus , floribus magnis. *Pluk. tab. VI. f. 3.*
 Caulis teres , fistulosus , simplex , scabriusculus , 4-pedalis.
 Folia ovato-oblonga , crenata , tricuspidata , cuspidè media latiore , productione subtus albicantia . Stipulae subulatae , arcuato-erectae.
 Flores axillares , solitarii , pedunculati , pedunculis erectis , geniculatis , petiolo paulo longioribus.
 Calyx exterior ex decem foliolis lineari-subulatis , basi arcuatis : interior paulo longior , ovarus , laciniis acutis.

Corolla magna luteo-albicans; petalis unguibus incarnatis; apice subrotundis.
Stamina: filamenta numerosa per integram tubi superficiem sparsa, lutea: antheræ reniformes.

Germen ovatum: stylus longissimus, versus apicem recurvus, quinquepartitus: stigmata clypeata.

Non fructificavit.

Habitat in Virginia, Canada. *L. Floret mense Aug. V. V. in R. H. P.*

238. HIBISCUS MOSCHEUTOS. *Lin. (Tab. LXV. fig. 1.)*

H. Foliis ovatis, acuminatis, serratis: caule simplicissimo; petiolis floriferis.

Lin. sp. pl. n.º. 1.

H. Foliis ovatis, crenatis; angulis lateralibus obsolete. *Hort. Clif. 349.*

Alcea rosea peregrina, forte rosa moscheutos Plinii. *Cor. Canad. 144. t. 145.*

Moris. hist. 2. p. 532. s. 5. t. 19. f. 6.

Ex eadem radice caules plures, teretes, simplicissimi, 4-pedales.

Folia ovata, acuminata, serrata, subtus albicantia, nonnulla tricuspidata, angulis lateralibus parvis, sæpe obsolete. Stipulæ angustæ, acutæ.

Flores solitarii, pedunculati, pedunculis petiolo longioribus, folio brevioribus, erectis, petiolo insertis.

Reliqua ut in precedenti, a quo differt petiolis floriferis.

Habitat in Virginia, Canada. *L. V. S. apud D. de Jussieu.*

239. HIBISCUS PEDUNCULATUS. *Lin. sup. (Tab. LXVI. fig. 2.)*

H. Caule frutescente: foliis quinquelobis, trilobisque, hirsutis; pedunculis axillaribus unifloris, elongatis. *Thimberg. ms.*

H. Hirsutus; foliis quinquelobis dentatis; pedunculis axillaribus unifloris, elongatis. *Lin. sup. p. 309.*

Caulis frutescens, teres, villosus, erectus, bipedalis, simplex.

Folia alterna, petiolata, petiolis pollicaribus, teretibus, hirsutis; inferiora quinqueloba, superiora triloba; dentata, supra viridia, subtus pallida, utrimque hirsuta, pilis flavescens. (Variant figura et magnitudine, quæ sæpe sæpius est pollicaris.) Stipulæ breves, acutæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculis hirsutis, spithameis, erectis usque ad florem, hic nutantibus.

Calyx exterior polyphyllus, foliolis lanceolatis, hirsutis: interior semiquinquepartitus.

Corolla campanulata, petalis quinque incarnatis, plusquam pollicaribus.

Stamina: filamenta numerosa, brevissima, per tubi superficiem sparsa; antheræ reniformes.

Stigmata quinque, capitata.

Habitat in sylva GALGEBOSCH dicta Capitis B. *Speil Floret mense Decembri. H.*

Descriptionem atque figuram communicavit honestissimus vir Thumberg.

240. HIBISCUS SPICATUS. (Tab. LIX, fig. 1.)

H. Caule hirtio: foliis cordatis 5-7-lobatis, valde tomentosissimis: floribus spicatis;

subsessilibus : stipulis utrimque sex.
 Caulis hirtus, pilis albis, longis, deflexis.
 Folia petiolata, petiolis inferiorum longissimis, sensim versus apicem brevioribus, hirtis; cordata, subrotundo-5-7-lobata, crenata, rugosa, valde tomentosa. Stipulae fere duodecim, lanceolato-acutissimae, ciliatae, utrimque sex.
 Flores spicati, subsessiles, spica longissima terminali.
 Calyx exterior monophyllus, profunde partitus in 8-9 lacinias lanceolatas: intus glaber, extus lanato-rufescens: interior coriaceus, semiquinquefidus, extus lanatus, intus glaber.
 Corolla, petala quinque subrotunda. (De magnitudine et colore nihil certi, vidi enim dumtaxat intra calyces.)
 Stamina numerosa, brevia, tubum cooperientia; antherae reniformes, luteae.
 Germen. . . Stylus simplex: stigmata. . .
 Fructus deerat.

Habitat. . . V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu.

Haec species (quae fortasse melius aliquando inter Altheas connumerabitur, quum de fructu constet) abunde distinguitur a congeneribus stipularum numero, et figura: idque notandum, ne in errorem inducatur, qui exemplar viderit; stipularum duodenarium numerum ita florem cingere, ut primo intuitu calycem ipsae referant, atque calyces clausos pro capsulis sistant.

241. HIBISCUS SIMPLEX. *Lin.*

H. Foliis cordatis, trilobis, repandis, integerrimis; caule arboreo simplicissimo.

Lin. sp. p. n^o. 5.

Malva arborea, flore rotundo, flore liliaceo. *Sloan. Jam. 95. hist. 1. p. 95. t. 134. f. 1. 2. 3.*

Caulis arboreus, crassus, rectus, indivisus.

Folia integerrima, cordata, triloba, obrusiuscula, glabra, margine inaequali, nervis subtus poro mellifero.

Habitat in Asia. H. Nullibi vidi: superiora vero ex Linnaeo desumsi loco citato.

242. HIBISCUS FLAVESCENS. (Tab. LXX. fig. 3.)

H. Caule hirsuto, pilis aureis: foliis palmato-quinquelobatis, hirsutis; floribus numerosis, terminalibus.

Caulis apparet fruticosus, atque coopertus pilis rigidis aurei coloris, quemadmodum et capitula.

Folia cordata, quinquelobata, lobis profundis, acuminatis, serratis, hirsuta. Stipulae lanceolatae.

Flores terminales plures.

Habitat in Pondicheri. V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu, quod figura sistit magnitudine naturali.

243. HIBISCUS BRASILIENSIS. *Lin.*

H. Foliis cordatis denticulatis, calycibus exterioribus duplo longioribus, caule

fruticoso, ramis hirtis. *Lin. sp. pl. n^o. 7.*

Facies Hibisci mutabilis.

Caulis fruticosus, ramis, petiolis, pedunculis, calycibusque hirtis.

Folia cordata, serrato-dentata. Stipula subulata.

Pedunculi uniflori, foliis longiores.

Calyx exterior octophyllus, linearis, patens; interior dimidio brevior.

Fructus capsula quinquecocca non longior calyce interiore.

Habitat in Brasilia. H. Ex Lin. desumsi omnia; plantam non vidi.

An ad Pavonia genus referenda sit hæc species? fructus quinquecoccus id indicat.

Synonymum Plumieri ab hac specie separo, quoniam plantam sistit ab H. mutabilis facie longe diversam. Videatur n. 226.

244. *HIBISCUS MUTABILIS. Lin. (Tab. LXII. fig. 1.)*

H. Caule arboreo, foliis cordatis, quinqueangulatis, acuminibus productis, acutis: fructu obovato rugoso.

H. Foliis cordato-quinqueangularibus, obsolete serratis, caule arboreo. *Lin. sp. pl. n^o. 9. Hort. Ups. 205. Hort. Cliff. 349. Roy. lug. 358. Brown. Jam. 286. n^o. 7.*

Hibiscus sinensis. Miller. dict. n^o. 2.

Althæa arborea rosa sinensis. Moris. his. 2. p. 530. s. 5. tab. 18. f. 2.

Rosa sinensis. Ferr. Flor. 493. t. 497. Mer. sur. 31. tab. 31.

Flos horarius. Rumph. Amb. tom. 4. lib. 6. cap. 12. tab. 9.

Hina-pariti. Rheed. Mal. 6. p. 66. tab. 38. 39. &c.

Ketmia. Comm. herb. figur.

Caulis arboreus cortice albicante tectus, ramis patulis, teneris, villosis-farinaceis, orgialis et ultra.

Folia cordata, semiquinquepartita in quinque angulos apice acutissimos, inæqualiter crenato-dentata; quinquenervia, nervis protuberantibus. Stipula lineari-lanceolata.

Flores axillares solitarii, in summitate ramulorum numerosi, pedunculis erectis longis.

Calyx exterior ex octo foliolis oblongis, lineari-acutis: interior duplo longior, laciniis acuminatis, trinerviis.

Corolla quatuor pollicum diametri, patens, uno eodemque die tricolor, mane nivei coloris, meridiano tempore dilute incarnati, vespere tandem rosea, atque cum sole occidit.

Stamina: filamenta plurima per tubi superficiem sparsa: antheræ luteæ, reniformes.

Germen globosum: stylus simplex, corollâ brevior: stigmata globosa.

Fructus calyce minor, subovatus, rugosus, villosus. Semina reniformia sex in singulis loculamentis.

Habitat passim in utraque India atque in Insula Canaria. H. Colitur in R. H. P.

Numquam vidi floridum; quæ ad fructificationem spectant et observavi in sicco, et communicata fuere ab amico meo D. Josepho Viera Canariensi.

Obs. Ex hujus cortice construuntur funes in Canaria.

245. *HIBISCUS CLYPEATUS*. *Lin.* (Tab. LVIII. fig. 1.)
 H. Foliis cordatis angulatis; capsulis turbinatis, truncatis, hispidis. *Lin. sp. pl.*
n^o. 20.
 Ketmia amplissimo folio angulato: fructu hispido clypeato. *Plum. cat. p. 3, ms.*
vol. IV, tab. XXI. Burm. spec. 3, t. 160. f. 2.
 Caulis arboreus, ramosus, 15-30 pedes altus.
 Folia magna, cordata, angulosa, aspera, subtus virentia, nervosa, petiolis tri-
 pollicaribus. Stipulae...
 Flores circa ramorum summitates solitarii, axillares, pedunculis erectis, præ-
 longis.
 Calyx exterior ex 12 fere foliolis longis, angustis, acutissimis: interior campa-
 nulatus, profundus, amplus, semiquinquepartitus.
 Corolla magna, pallida, profunde campanulata, petalis quinque apice revo-
 lutis.
 Stamina: filamenta albicantia, tubum brevem, album tegentia: antheræ reni-
 formes?
 Fructus intra calycem amplus, hispidus, membranaceus, et tympano superius
 clypeato simillimus; loculis quinque polyspermis. Semina rotunda fusca.
Habitat in paludosis Ins. S. Dominici. H. Observatus, descriptus atque deli-
neatus a Patre Plumierio. (Nullibi vidi hanc plantam.)
 Obs. *Ex hujus cortice parantur funes.*

246. *HIBISCUS COLUMNARIS*. (Tab. LIX. fig. 2.)
 H. Foliis cordatis rotundato-angulatis, subtomentosis: calycibus monophyllis;
 tubo columnari, longissimo.
 Caulis, ex fragmentis, arboreus aut fruticosus.
 Folia alterna, numerosa, pedunculis subtomentosis, fere æqualia, cordata;
 subrotundo-angulata, sæpe angulis quinque acutis, subtomentosa, venis
 curvis subtus notata. Stipulae...
 Flores plures in summitate ramulorum axillares, magni, brevibus petiolis
 sustentati.
 Calyx exterior monophyllus, profunde partitus in sex aut septem lacinias lan-
 ceolatas: interior longior, semiquinquefidus, laciniis lanceolatis, nervo lon-
 gitudinali.
 Corolla magna extus villosa, petalis luteis, integerrimis, basi coriaceis.
 Stamina: filamenta numerosa, parva, tubi medietatem superiorem tegentia:
 antheræ reniformes. Tubus cylindricus; corolla fere duplo longior, inferne
 nudus.
 Germen ovatum: stylus simplex: stigmata quinque rubra, globosa.
 Fructus deerat.
Habitat in Insula Bourbon. H. Observ. a Commersonio. V. S. communicat. a D.
Thouin.
 Obs. *In herb. D. de Jussieu vidi plantam, cujus accuratissimam figuram deli-*
neavit D. Jossigny curante Commersonio, in qua desiderantur flores, cuique
calyx exterior est octofidus; que, quum ab Hib. columnari non differat nisi
stipulis latis, cordatis, subrotundis, quas non reperi in isto, stipulis orbato forte

deciduis, pro eadem cum columnari specie habenda erit, quoadusque, observata denuo, de ejusdem differentiis constet. Fig. 3. tab. 59. sistit stipulas.

247. HIBISCUS MICANS. (Tab. LX. fig. 2.)

H. Foliis cordatis, latis; quinqueangulatis, tomento lucidis: calycum exteriori monophyllo, magno, sexpartito: corolla extus tomentosa, nervosa.

Caulis tomento albicans, ramosus, ex fragmentis arboreus.

Folia petiolis breviora, cordata, latiora quam longa, serrata, quinqueangulata, acuminibus acutis, utrimque tomento micantia. Stipulae ovato-lanceolatae, breves, erectae.

Flores solitarii, axillares, pedunculati, pedunculis petiolo saepe longioribus.

Calyces magni, tomentosi: exterior monophyllus, profunde fissus in sex laciniis lato-lanceolatis, nervis longitudinalibus: interior globoso-pentagonus, angulis compressis, laciniis lato-acutis.

Corolla magna trium pollicum diametri, patens, sulphureo-rubens, in centro maculata, petalis subrotundis extus tomentosus, intus glabris, costulis ab unguibus ad periferiam divergentibus.

Stamina: filamenta numerosa, parva, per tubi superficiem sparsa: antherae subreniformes.

Germen globosum, tomentosum: stylus simplex: stigmata globosa, rubra.

Fructus capsula subovata, villosa; quinquelocularis, loculis polyspermis: semina glabra.

Habitat in Insula Java. H. Observatus a Commers. V. S. apud DD. de Jussieu et Thouin, quorum quilibet possidet exemplar unicum.

Obs. Exemplar D. Thouin corollam habet sine fructu: D. vero de Jussieu fructum sine corolla; hincque vix est cicere major, neque perfectam maturitatem attigit mea sententia.

248. HIBISCUS ABELMOSCHUS. Lin. (Tab. LXII. fig. 2.)

H. Foliis subpeltato-cordatis septemangularibus, caule hispido, (addo Cav. seminibus moschum redolentibus.) *Lin. Sp. pl. n. 18.*

Alcea hirsuta, flore flavo, semine moschato. *Marg. Bras. 45. t. 45. Brown. Jam. 285. n. 4.*

Alcea Aegyptiaca villosa. *Bauh. pin. 317.*

Flos moschatus. *Mer. Surin. 42. t. 42.*

Granum moschatum. *Rumph. Amboi. t. 4. lib. 6. cap. 18. f. 15.*

Ketmia villosa, flore flavo, semine moschato. *Plum. 25.*

Cattu-gasturi. *Rheed. Mal. 2. p. 71. t. 38.*

Alcea moschata villosissima, foliis in profundiores laciniis incisis. *Pluk. Phyt.*

t. 127. f. 1.

Ketmia Aegyptiaca, semine moschato. *Tournef. Inst. p. 100. Burm. Zeyl. 134.*

Caulis teres, fruticoso-herbaceus, hirtus, nec urens, simplex, viridis, exceptis maculis oblongis saturate purpureis, quae infra et supra petiolos reperiuntur, 5-pedalis.

Folia distantia, longe petiolata, horizontalia, magna, subpeltato-cordata,

slin II

septemangulata, angulis acuminatis; dentato-serrata, hispida; superiora sub-hastata. Stipulae lineares, arcuato-erectae.

Flores solitarii, axillares in summitate caulis, pedunculis bipollicaribus, erectis, basi incrassatis.

Calyx exterior ex 8-11 foliolis anguste lanceolatis, ciliatis; interior quadruplo longior, tubuloso-conicus, apice quinquedentatus, rumpendus a corolla explicanda, deciduus.

Corolla ex petalis quinque dilute luteis, unguibus concavis, saturate purpureis, dehinc latioribus, patentibus.

Stamina: filamenta numerosa, parva, per totam tubi superficiem sparsa: anthera reniformes, albicantes.

Germen conicum: stylus simplex: stigmata globosa, purpurea.

Fructus bipollicaris, pyramidalis-pentagonus, hirsutus: semina reniformia, gilva, quae masticata moschi odorem exactissime referunt.

Habitat in India orientali, in Guadalupe et in America calidior. M. V. V. florentem apud me mensibus Augusto, Septemb. et Octob. Colitur in R. H. P.

Obs. Tota planta ac praesertim paginae inferiores foliorum sunt plena globulis transparentibus, facile a superficie separandis, adeo ut si planta sudaret.

249. **HIBISCUS PALMATUS.** (Tab. LXIII. fig. 1.)

H. Radice crassa alba fungosa: foliis cordatis, palmato-lobatis, pedunculis nutantibus.

Alcea Bamia Americana parvo flore, petalis rotundioribus. *Pluk. t. 6. f. 4.*

Tota planta glaberrima.

Caulis teres, crassus, subherbaceus, perennis, bipedalis.

Folia magna, cordata, palmato-lobata, crenata: superiora triloba, lobis ovatis, subaequalibus, reliqua septemlobata lobis inferioribus brevibus. Stipulae breves, lanceolato-acutae, deciduae.

Flores magni axillares, solitarii, pedunculis floridis nutantibus.

Calyx exterior ex sex foliolis ovatis, pilosis, initio patulis postea conniventibus: interior longior tubulosus, pellicula constans viridi, apice quinquedentata, rumpendus a corolla explicanda, deciduus.

Corolla concavo-patens trium pollicum diametri, petalis subrotundis dilute flavis, unguibus rubescentibus.

Reliqua ut in precedenti, excepto odore moschato seminum.

Habitat in America calidior. H. Habui florentem a mense Julio usque ad Sept. Colitur in R. H. P.

Obs. I. *Species quasi media inter H. MANHIOT et ABELMOSCHUM: foliis enim ad hunc accedit, genitalibus et fructu a MANHIOT mutuatis.*

II. *Plantam ulterius habeo huic affinem ab H. ABELMOSCHO certe diversam: folia sunt ipsi villosa, atque facies tetra: genitalia ac fructus cum H. PALMATO communia ad quem tanquam varietatem notandam refero, licet altam viderim primo anno quatuor pedes, et ramosam.*

250. **HIBISCUS ESCULENTUS.** *Lin.* (Tab. LXI. fig. 2.)

H. Caule

H. Caule herbaceo, crasso, foliis quinquelobatis, crenatis, subpedatis : calycibus utrisque deciduis, fructu corniculato : stigmatibus 5 ad 10.

H. Foliis quinquepartito-pedatis, calycibus interioribus latere rumpentibus. *Lin. Sp. pl. n. 19. Jacq. Obs. 2. p. 11. Burm. Ind. 153.*

Ketmia folio ficus, flore sulphureo, fructu sulcato. *Plum. 26.*

H. Ficifolius. *Mill. dict. n. 15.*

Alcea Americana annua, flore albo maximo, fructu pyramidali sulcato. *Comm. hort. pag. 37. t. 19. Rai. supp. 518.*

Alcea maxima, malvæ roseæ folio, fructu decagono, recto, crassiore, brevior, esculento. *Sloan. Jam. 98. hist. 1. p. 223. t. 133. f. 3. Brown. lam. 284. n. 3.*

Ketmia Brasiliensis folio ficus, fructu pyramidato sulcato. *Tournef. inst. p. 100.*

Okra. *Kalm. it. 2. p. 209.*

Quingambo. *Margraf. Bras. 31.*

Ketmia corniculata flore amplo flavescente. * *Plum. mss. 4. t. 27.*

Ketmia indica vitis folio, fructu corniculato *. *Tournef. inst. p. 100.*

Radix albicans, descendens, ramosa.

Caulis erectus, simplex, crassus, herbaceus, sesquipedalis.

Folia alterna, petiolis longiora, cordata, 5-lobata, lobis latis, oblongis, crenatis : summis petiolis, ac foliorum initio rubris. Stipulæ subulatæ, arcuato-erectæ, deciduæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculis brevibus, erectis.

Calyx exterior ex 10-12 foliolis lineari-subulatis, ciliatis, cito deciduis : interior ut in præcedenti.

Corolla campanulato-patens, petalis dilute sulphureis, unguibus rubescentibus, apicibus acuminatis.

Stamina pauca per tubi albi superficiem sparsa, parva : antheræ minutæ, flavæ.

Germen ovatum, viride, tomentosum ; stylus simplex, albus, apice in 6-10 lacinias parvas terminatus : stigmata globosa, atro-purpurea, tomentosa.

Fructus : capsula oblonga, tripollicaris, sulcata, tomentosa, apice acumine sæpe recurvo terminata ; tot continens loculamenta, quot fuerunt stigmata. Semina globosa, cinerea, numerosa.

Habitat in Indiis. ☉. Habui florentem mensibus Julio et Augusto. Colitur in R. H. P.

Observ. Miranda species stigmatum numero ac fructus loculamentis, in quibus adeo varia, ut ex eisdem seminibus plantas habuerim, in quorum floribus sex, octo, et novem stigmata numeraverim in eadem etiam planta.

Aliam vidi siccam, cuius habitus ac folia erant omnino eadem cum supra descripta, in qua tamen fructus octo pollices erat longus, corniculatus, apice acutissimus ; at quinquelocularis dumtaxat, ad quam reduci debent synonyma asterisco* notata : et quamquam, fructu inspecto, diversas species constituere mecum ipse reputem, coniunctas relinquo, quoadusque cultura constet num varietates sint aut species diversæ.

- H. Caule fruticoso; foliis cuneiformi-ovatis, trilobatis, inæqualiter dentatis; glabris, subcoriaceis: seminibus zona hispida.
- H. Foliis cuneiformi-ovatis, superne inciso-serratis, caule arboreo. *Lin. Sp. pl. n. 12. Hort. Cliff. 350. Hort. Ups. 250. Miller. dict. n. 1. &c. apud Lin.*
- Ketmia Syriaca. *Scop. Carn. ed. 2. n.º. 863.*
- Alcea arborescens Syriaca. *Bauh. pin. 316.*
- Alcea arborescens. *Cam. hort. t. 3. 4.*
- Caulis frutescens, ramosus, 4-5 pedalis.
- Folia cuneiformi-ovata, supra trilobata, lobis inæqualiter dentatis, medio longiore, glabra, subcoriacea, petiolis multo longiora. Stipulæ setaceæ.
- Flores axillares, solitarii.
- Calyx exterior ex octo fere foliolis linearibus, longis: interior paulo longior, basi hemisphæricus, laciniis lanceolatis.
- Corolla (variat colore albo, flavo, purpureo, violaceo) campanulato-patens, unguibus angustatis, ciliatis, maculatis; supra subrotundis.
- Stamina: filamenta plurima, alba, parva, per totam tubi superficiem sparsa: antheræ albicantes, reniformes.
- Germen ovato-acuminatum: stigmata crassa, reniformia.
- Fructus calyce maior: estque capsula ovato-acuminata. Semina nigra, reniformia, altero latere acuta, zona villosa cincta.
- Habitat in Syria, Carniola. H. Habui florentem a mense Augusto usque ad Octob. Colitur in R. H. P.*
- Obs. *In hoc colitur etiam frutex nomine HIB. SYRIACUS MULTIPLEX, qui a precedenti differre videtur flore præsertim multiplici, habitu tamen ad illum accedit.*

252. HIBISCUS SABDARIFFA. *Lin.*

- H. Caule herbaceo, glaberrimo, rubescente; foliis serratis, inferioribus ovatis; superioribus tripartitis: floribus solitariis, axillaribus, sessilibus.
- H. Foliis serratis, inferioribus ovatis, indivisis; superioribus septempartitis; caule inermi; floribus sessilibus. *Lin. sp. pl. n.º. 14. Jacq. obs. 2. p. 10. Mill. dict. n.º. 9.*
- H. Inermis, foliis serratis; inferioribus ovatis integris, superioribus trilobis. *Hort. Cliff. 350. Flor. Zeyl. 26. Roy. lugd. 350.*
- Althæa indica gossypii folio, acetosæ sapore. *Ray. hist. 1900.*
- Alcea acetosa indica mitis, foliis superioribus gossypii in modum tripartitodivisis. *Pluk. Alm. 15. tab. 6. f. 2.*
- Hibiscus inermis foliis serratis, infimis indivisis, mediis tripartitis, summis quinquepartitis. *Roy. lugd. 350.*
- Ketmia gossypii folio, acetosæ sapore. *Plum. cat. p. 2.*
- Ketmia hortensis pallida folio tricuspidato. *Plum. mss. 4. t. 24. Surian herb. n.º. 138. 43. Sabdariffa. Lob. p. 657. t. 803. his.*
- Ketmia indica gossypii folio, acetosæ sapore. *Tournef. inst. p. 100.*
- Radix ramosa, fibrosa, alba, descendens.
- Caulis teres, rubescens, glaberrimus ut et tota planta, herbaceus, sesquipedalis, ramulis aliquot brevibus.

Folia alterna, petiolis subæqualia, serrata: inferiora ovata, indivisa, superiora cuneiformia; supra tripartita, lobis ovatis. Stipulæ lanceolatae, erectæ, rubro-violaceæ.

Flores axillares, solitarii, sessiles.

Calyx exterior ex duodecim fere foliolis angustis, adpressis, apice coloratis; interior semiquinquepartitus.

Reliqua non vidi: perit planta ante floris expansionem. Colam iterum, ut et delineare ad vivum possim, et quæ desunt descriptioni adnectere.

Habitat in Indiis. ☉. vulgo OSEILLE DE GUINÉE.

F. Caulis inermis: foliis profunde fissis.

253. HIBISCUS VESICARIUS. (Tab. LXIV. fig. 2.)

H. Caule herbaceo, hispido, urente: foliis imis subrotundo-crenatis, indivisis reliquis quinquelobis, obtusis, crenatis: calycibus inflatis.

Ketmia vesicaria africana. Tourn. inst. 101?

Tota planta atro-viridis.

Caulis pedales, ramosi, teretes, hispido-pungentes.

Folia ima (at pauca) subrotundo-crenata indivisa, reliqua palmato quinquefida, lobis profundis, obtusis, crenatis. Stipulæ lineares, ciliatæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis erectis.

Calyx exterior ex duodecim fere foliolis anguste lanceolatis: interior globosus, inflatus, diaphanus, supra pentagonus, pluribus sulcis (sub 24) rubris.

Corolla campanulato-patens, petalis 5 dilute flavis subrotundis, altera parte præmorsis, macula subrotunda purpurea in ungue notatis.

Stamina: filamenta plurima purpurea per totam tubi superficiem sparsa: antheræ saturate flavæ, subreniformes.

Germen ovatum: stylus simplex: stigmata quinque, globosa, villosa, saturate purpurea.

Fructus intra calycem inflatum, venosum; estque capsula ovata, nigricans, pilis hirta. Semina nigra, reniformia, septem aut octo in unoquoque loculamento.

Habitat in Africa. ☉. *Habui florentem a mense Julio usque ad Octobr. Colitur in R. H. P.*

Obs. Fructu ac genitalibus est omnino eadem ac due sequentes species, a quibus differt foliis quinquelobatis, semifissis, non usque ad petiolum ut in sequentibus observatur.

254. HIBISCUS TRIONUM. *Lin.* (Tab. LXIV. fig. 1.)

H. Caule herbaceo scabro: foliis tripartitis dentato-serratis: lobo medio longissimo, lanceolato: calycibus inflatis.

H. Foliis tripartitis incis, calycibus inflatis. *Lin. sp. pl. n.º. 26. Hort. Ups. 206. Sabb. hort. 1. t. 55?*

Caulis herbaceus, subruber, pilis scaber, inferne ramosissimus, ramis imis diffusis, erectus, quandoque procumbens, bipedalis et amplius.

Folia glaberrima, cordata, in tres lacinias præcipuas usque ad petiolum fere partita; laciniis dentato-serratis, media lanceolata, longissima: folia inferiora sunt subrotunda, indivisa, omniumque petioli breves. Stipulæ lineares, ciliatæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis erectis, scabris, rubris, geniculatis, folio brevioribus.

Reliqua ut in præcedenti.

Habitat in Africa, Carniola. ☉. *Habui florentem cum præcedenti. Colitur in R. H. P.*

Obs. *Nonnulla reperiuntur filamenta alba, castrata, fertilibus immixta.*

255. HIBISCUS TERNATUS. (Tab. LXIV. fig. 3.)

H. Caule humili herbaceo: foliis ternatis, calycibus inflatis.

Alcea peregrina solisequa. Lob. p. 656. t. 803.

Caulis humilis, vix pedalis, gracilis, herbaceus, subtomentosus.

